R. 3818

EPISTOLA

AD VIRUM ORNATISSIMUM

JOHANNEM FREIND,

COLL. MED. LOND. ET SOCIET.

REGIÆ SOCIUM.

20

EPISTOLA

AD VIRUM ORNATISSIMUM

JOHANNEM KLEIN,

Coll. Nov. Loci ad Socium

Regia Societ.

4 90

EPISTOLA

AD VIRUM ORNATISSIMUM

JOHANNEM FREIND,

COLL. MED. LOND. ET SOCIET.

REGIÆ SOCIUM.

IN QUA,

D. W. TRILLERI,

PHIL. ET MED. D.

EPISTOLAM MEDICO-CRITICAM

Super primo & tertio Epidemiorum, a Viro ornatiſſimo editis, ad examen revocavit

---

JOHANNES KING,

COLL. REGAL. SOCIUS.

CANTABRIGIÆ:

Impenſis CORN. CROWNFIELD, Celeberrimæ Academiæ Typographi. Proſtant apud JONAM BOWYER, Bibliopol. ad Inſigne Roſæ in Cœmiterio D. Pauli. *LOND.* MDCCXXII.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

VIRO ORNATISSIMO,

JOHANNI FREIND,

M. D.

CUM tuis, Vir Ornatiſſime, monumentis, quibus non ita pridem egregia tua benignitate honeſtabar, me mirifice oblectarem; id in ſtudiis diſponendis conſultiſſimum videbatur, ſi Tuorum ſcriptorum jucunditatem antiquorum ſeveritate temperarem: illorum nempe, qui ſumme tibi familiares, & cognati quodammodo videban-

tur. Ita enim potiſſimum, quod in his duriuſculum foret, ſine tædio; quod in illis jucundum, ſine feſtinatione me poſſe complecti arbitrabar. Et quanquam in tuis quidem ſcriptis, delicatam orationis puritatem, exquiſitam ingenii vim, certiſſimam medendi rationem, & incredibilis ſcientiæ monumenta impenſe demiror; illud tamen vel maximum mihi videtur, neminem vel plura ex antiquis legiſſe, vel ex iis ſubduxiſſe pauciora. Hiſce veſtris auſpiciis & ſubſidiis medicinæ operam cum locarem, uti omnes fere comparati ſumus novarum rerum ſtudioſiores, ex Germania recenter allata in manus pervenit egregia,

DAN. WILHEL. TRILLERI

PHIL. ET M. D.

EPISTOLA MEDICO-CRITICA &c,

in qua cum multa Hippocratem tuoſque ſimul Commentarios ſpectantia, *aliaque notatu digna* admiſceri titulus quidem ſubindicaret, libellum, cum ſtudiorum rationi tum novitatis deſiderio adnuentem, ut rem magnificam avidiſſime amplexus ſum. Verum enimvero cum perlegiſſem, immane quantum ab illa diſcrepabat, quæ tantam ſui

ſui ſpem deſideriumque concitaſſet? Non ingens eruditionis ſupellex, quæ *Criticum*; non exquiſita in morbis ſanandis ratio, quæ *Medicum* exornaret; ſed multa quæ induſtriam, quædam quæ cognitionem, pauca quæ judicium arguerent ſubeſſe videbantur. Id autem me impenſius dolebat, Hippocrati doctrinas partim ipſi ignotas, partim ipſius placitis abhorrentes, contra tuam Vir Orn. Galenique auctoritatem, mira ſedulitate perverſe adjudicari: varia loca in caſtigata tua editione emendationibus in pejus refingi, veteresque colonos demigrare, ut hæc tam culta barbari haberent. Cum itaque quali eſſes in Hippocratem animo probe perſpicerem, me non acceptiores tibi gratias ſummæ benignitatis & benevolentiæ olim relaturum arbitrabar, quam ſi *privata epiſtola* Hippocratem tuoſque commentarios ab injuriis hujuſmodi officioſa defenſione vindicarem. Me vero, utcunque fortiter decreviſſem, vel grati animi ſubmonitiones perpetuæ, vel patroni optime de me meriti virtus, vel honeſtiſſimæ amicorum ſollicitationes (ut ſcriptoribus ſemper accidit) impulerunt, ut quod privatum obſervantiæ pignus deſtinaſſem, id publicum fieret clientelæ monumentum. Hæc cum ita ſe habeant, nec officium uti ſpero nimis timide detrectaſſe, nec infini-

tum ſcribentium in gregem me temere ingeſſiſſe perhibebor. Utcunque, mallem exiſtimationis meæ, ſiqua demum mea eſt exiſtimatio, periculum; quam grati animi jacturam facere: & in dubio potius quid valeam, quam in obſcuro, quid tibi debeam, relinquere.

TRILLERI

TRILLERI EPIST. P. 5.

De variis Hipp. Editionibus.

IN* varias Hippocratis editiones, de quibus ipse, Vir Ornatissime, egregie disseruisti, observationes Vir Clarissimus cum inchoaret, novum quiddam & reconditum expectabam; & tuo tamen de iis singulis † judicio breviter sane sed exacte pleneque exposito quid detrahi, imo quid adjici posset mirabar. Post tuos itaque labores, semper cumulatos, semper absolutos, aliquid experiri quam vanum esset, tandem aliquando persensit, etiam Vir Cl. qui per *quinque* paginas frustra cum sudasset ausus idem, sub finem necessario coactus se aperit, & ingratam veritatem confitetur.

‡ *Vides V. E. quam accurate tecum consentiam.*

Imo tam accurate, ut ne latum quidem unguem discedere videatur: hoc solum in-

* Trill. Pag. 5. de variis Hipp. Editionibus. † Freind. de morbis popularibus P. 19. ‡ Trill. P. 19.

tereſt,

tereſt, quæ Tu breviter, ille prolixius; quæ Tu luculenter, ille obſcurius; quæ Tu denique humaniter, ille ſeverius. Quo enim ſale Aldum, alioſque Hippocratis Editores inſectatur? quos Tu Vir Orn. ſi laudibus injuſtis non extuliſti, nec injuriis oneraſti non ſuis. De Aldina vero editione ita Vir Cl.

* *Præter antiquitatis honorem, chartæque nitorem vix aliquid habet quod ipſam commendet, quale judicium eſto de omnibus propemodum Aldi libris Græcis, ſunt enim admodum vitioſi.*

Itane omnibus coacervatim Aldi libris Græcis, qui tot per annos, membranarum, quarum ad fidem caſtigantur, numero & veneranda antiquitate, non minus quam editoris induſtria & fidelitate ſpectanda hucuſque claruerunt, notam graviſſimam inuri? quaſi vero typographus tam lauta ſupellectile inſtructus, famæ vel pretii, quo fere ſunt ingenio, ardentiſſimus, nihil elegantiæ libris ipſis impenderet, nitorem omnem in chartam ſolam mira ſagacitate profuſurus. Nonnullas ſane eaſque Græcas Aldi editiones mihi quoque verſare, quaſdam & contuliſſe contigit: idque mihi deprehendiſſe videor, me cæteris paribus ex Aldina editione non fructum minorem percepiſſe, quam ex MSto

* Trill. P. 6.

mediæ

mediæ æſtimationis quocunque. Ea enim Aldi officinæ fuit ratio: quemcunque auctorem ſibi typis mandandum decreviſſet, ejus quot licuit unde unde conraſit exemplaria, ex quibus editionem ſuam cum religioſe concinnaſſet, ſive ut fama accederet, ſive ut pretium adaugeretur, ipſa autographa, mira in orbem literatum ſævitia, comburenda ſedulo curavit. Quid mirum igitur, Vir Orn., Aldi codices utcunque mendis hinc inde typographicis laborent, criticis & curioſis in deliciis eſſe, imo ſumptu regio etiamnum ſupereſſe redimendos?

Qua humanitate Aldum excepit, eadem & reliquos Vir Cl. tractavit.

[a] *In Frobeniana quædam interdum ſunt omiſſa.*

[b] *Mercurialis*, indignum facinus! *MSS-torum auctoritatem, ſuo ingenio præferre non dubitavit.*

[c] *Foeſium, ut nimis clementem in extirpandis vitiis; ejuſdem commentarios ut nimis verboſos reprehendit.*

[d] *Lindanus editionem ſuam turpiter fædavit cum verſione Cornarii, peſſimi critici.*

[e] *Charterii opus ſomnolenter compoſitum, & clauſis pæne oculis correctum.*

a Trill. Pag. 6. b Ibidem. c Trill. P. 7. d Trill. P. 7. & 8. e Trill. P. 8. & 9.

quod

quod ſi ingens hoc opus, qua ſumus imbecillitate, interdum minus accurate ſe habeat; ideone ſomnolentiam a Viro Clariſ. Charterio vitio vertendam, cui parvula epiſtola erratis typographi undequaque erubeſcendis ſcateat? Charterius certe magis ignoſcendus:

Namque opere in longo fas eſt obrepere ſomnum.

Zuingeri denique tabularum analyticarum non * *uſum adeo magnum hariolari quit*;

verum enimvero

— quorſum hæc tam putida tendunt?

Ipſe ſcilicet Hippocratis editionem † parat. Quo ardore, quibus votis omnium medicinæ operam navantium, in quibus nomen qualiſcunque profiteor meum, opus ejuſmodi deſideretur ſatis ſentio; & Viro Cl. impenſe gratulor, qui tanta litterarum ſupellectile, tantiſque dotibus ad ingens hoc opus ſe accinxerit. Sed liberum cum exoptet & efflagitet judicium, ita demum in laudem editoris, in utilitatem lectori ceſſurum arbitror; ſi codicibus tam impreſſis quam MSStis fideliter collatis, doctorum explicationibus & decretis accurate perpenſis, quæ in hoc luxuriant, ex illo compeſcantur; quæ in illo deficiunt,

* Trill. Pag. 9. † Trill. P. 10.

ex

ex altero reſtituantur; ſi omnia denique inter ſe cum ingenio & acumine ita contendat, ut quæ depravata ſunt, caſtigentur; quæ confuſa, in ordinem redigantur; quæ alio inſcribuntur parenti, ſuo indiſcriminatim adjudicentur. Si præclaris hiſce veſtigiis, Te duce, Vir Cl. inſtiterit, brevi omnia genuina Hippocratis monumenta, eodem plauſu & ſplendore, quo

DE

MORBIS POPULARIBUS

LIBER PRIMUS & TERTIUS,

in publicum auguror proditura. Haud parum nitoris editioni ſuæ, etiam ex libris impreſſis, Vir Cl. collaturus videtur: quid vero in MSStis, hujuſmodi non poſſit induſtria, & inuſitata laborandi pertinacia?

* *Occaſione MSti Barocciani de quo* TIBI † *jam eſt ſermo, anſa* MIHI *datur, quædam de Cod. MSStis Hippocraticis primo ſane loco ponendis, in genere diſſerendi. Equidem ut ingenue fatear —vidi hucuſque nullos &c.*

De codicibus MSStis, quos nunquam verſavit Vir Clariſ. *imo nunquam vidit*, mirum ni egregia & facunda ſit diſſertatio. Nam ſiqua in re labor, uſus, & exercitatio aliquid utilitatis conferre videantur, in

* Trill. Pag. 10. † Friend. de Morb. Popular. P. xx.

MSStis certe conferendis apprime ſunt neceſſaria, ubi propriis oculis contendendum, & proprio quaſi Marte tota res gerenda eſt. Siquis igitur prima a pueritia oculis orbatus, de coloribus diſputare præ ſe ferret, aut Iridis imaginem vano conatu ſe depicturum venditaret, —— ejuſmodi ſane tabulæ perſimilem fore credo de Codicibus MSStis diſſertationem, quam ille, qui *nullos ſe vidiſſe* profitetur, aliorum oculis & fide concinnaverit.

Eo jam deventum eſt ut Viri Clariſ. emendationes elegantiſſimas, quas Editionis ſuæ (literatis omnibus deſideratiſſimæ) quaſi ſpecimen & pignus protulit, breviter excutiamus: quibus ex primitiis de tota meſſe dijudicandum eſt.

* Emendatio prima. *In lege ter legitur* τρόπος εὐφυὴς *in omnibus, ſi fides Foeſio, Codd. MSStis, quum tamen —ſcribendum ſit* τόπος, *niſi malimus per* τρόπον *methodum intelligere, quod tamen duriuſculum videtur.* Quî vero duriuſculum quod Hippocrati, quod aliis † optimiſque ſcriptoribus uſitatiſſimum? Ἐν ἑκάστοισι ‡ τῶν τρόπων ϛ διαίτης. *In ſingula victus methodo.* Hippocrates hoc in loco iis artibus medicum inſtruit, quibus ad ſummam medicinæ laudem

* Trill. Pag. 11. † Vid. Eurip. Hec. Lin. 1264. ‡ Hipp. ΠΕΡΙ ΤΡΟΦΗΣ.

ſe

ſe tandem poſſit evehere. In ſimili quoque argumento cum * Longinus verſaretur, & illud apprime in arte quavis tractanda elaborandum denuntiaret, ut tradat ſc. auctor πῶς — καὶ δι' ὧν τινων μεθόδων κτητὸν γένοιτο, id ſtatim Cæcilio vitio vertit, quod nimius in arte fuerit explicanda, (τὸ δὲ δι' ὅτυ ΤΡΟΠΟΥ ἰσχύοιμεν ἂν κ. λ.) ſed *methodum*, qua noſmet ad aliquem ſublimitatis gradum erigere, animoſque quadantenus accendere valeamus, quaſi neceſſarium non foret, penitus omiſerit. Sed ipſum ſi placet Hippocratem adeamus. Χρὴ γὰρ, † ὅστις μέλλει ἰητρικῆς ξύνεσιν ἀτρεκέως ἁρμόζεσθαι, τῶνδέ μιν ἐπίβολον γενέσθαι. Φύσιος, Διδασκαλίης τρόπυ εὐφυέος, Παιδομαθίης, Φιλοπονίης, Χρόνυ.

Ita ſuum Hippocrates medicum exornavit, egregiis ſane dotibus, ſed quæ teneros animos ad medicinæ ſtudium, non allicere, ſed abſterrere potius videantur. At vero quicunque præcepta quavis in arte tradiderunt, ut *Cicero de Oratore*, & noſter *de* ‡ *Medico*, non tam quales ſunt, quam quales eſſe debeant detractis vitiis depinxerunt: hæc igitur in medico ſaltem abſoluto requiruntur. Primo, Indoles. *Nemo enim* (ut tu, Vir Doctiſſime, in egregio tuo *de purgantibus* libello, cum Hippocrate opti-

* Longin. ΠΕΡΙ ΥΨΟΥΣ. Cap. 1.
† Hipp. ΝΟΜΟΣ. ‡ Hipp. ΠΕΡΙ ΙΗΤΡΟΥ.

me obſervaſti) [a] *quantumcunque ſtudii acceſſerit medicus fieri poteſt, niſi & etiam quodammodo naſcatur.* Secundo, *Doctrinæ methodus optime comparata*, id mihi ſane innuere videtur διδασκαλίης τρόπος εὐφυὴς, ita paulo inferius ipſe explicat Hippocrates. [b] Παιδομαθέα γενόμενον, ὁκοίῳ τρόπῳ ὁκοῖος εὐφυὴς πρὸς μάθησιν ἔσται. *A puero ſtudiis qui incubuit, in ea methodo quæcunque optime & quaſi a natura comparata erit ad eruditionem.* Eandem loquendi formulam etiam adhibuit Galenus. [c] Ὅσοι τοίνυν ἢ ΤΟΥ ΤΡΟΠΟΥ ΤΗΣ ΔΙΔΑΣΚΑΛΙΑΣ — *Quicunque igitur vel methodum doctrinæ explicaverunt* &c. Ipſe Hippocrates etiam, ut nullus dubitandi relinquatur locus, ubi de medici ſeu potius chirurgi officina agit, ambo opportune conjunxit. [d] Τὰ δὲ, ἐς χειρουργίην, καὶ ἰητρεῖον. — ὁ χρόνος, ὁ τρόπος, ὁ τόπος. [e] *Quæ vero, ad operationem rite celebrandam, officinam ſpectant ſunt hæc.* — *Tempus, methodus, locus.* Soranus denique Epheſius, qui omnia fere ex Hippocrate tranſtuliſſe videtur, in præfat. ad Iſagogen, quaſi ipſiſſima hæc verba, de quibus diſcep-

a Vide Freind. de purgant. p. 5. lin. 9. b Foeſ. Hipp. pag. 2. lin. 16. c Galen. in Aphor. com. 1.

d Hipp. ΚΑΤ. ΙΗΤΡΕΙΟΝ. p. 741. Foeſ.

e Senſus hujus loci mihi ſane videtur facillimus, Foeſius tamen in decantata ſua verſione, ex qua vel loca corrupta ſe non tam emendaturum Vir Cl. pollicetur, (Trill. pag. 7.) ita hanc ſententiam expreſſit, *Iſta autem in manu curantis officio ſpectantur.* Ecquis intelligit, equidem nihil minus?

ratur

tatur, de industria expressisset, ita dicit, *Et propterea incipientibus discere artem medicam, exordiar dicere qui sit optimus modus doctrinæ.* Cum lectio igitur antiqua *Codd. MSStorum* auctoritate confirmetur, cum ipsius orationis indoles eandem postulet, cum non alia denique perpetuo usus sit Hippocrates; utrumne illam Viro Cl. abnuente retinere audebimus, an fastidio ejus delicatissimo Hippocratis dispendio morem geremus* ?

* Ex eadem etiam emendandi licentia, duos præterea locos corruptissimos olim deprehendi; primo Athen. L. 5. in stupendæ istius navis Syracusanæ, ab Hierone extructæ descriptione, pro ΤΡΟΠΟΙ præclarus epitomes recoctor ΤΟΠΟΙ clanculum induxit, nullo plane sensu aut judicio: verum ibi τρόπος sensu peculiari, & quasi artis lignariæ proprio, tabulam vel trabem indicat; nunquam enim mihi persuaserit clarissimus Casaubonus τρόπον hic, (*si forte in re nautica*) *pro funibus vel loris accipi.* (Casaub. Animad. in Athenæi Lib. v. Cap. 11.) Locus enim sic se habet. *Utrinque murorum prominebant τρόποι, ἐφ' ὧν (τρόπων) extructa erant multæ officinæ.* Certe nullus hic vel funibus vel loris locus, paulo post, μετὰ δὲ ταῦτα παρεκτεταται (optime) ἐκ ΤΡΟΠΩΝ παχέων συγκειμένα, διὰ ἀλύσεων χαλκῶν κεκραμένα. Ubi vir maximus Casaubonus: *Noli dubitare τρόπες hic esse rudentes & nauticos funes: quam hujus vocis significationem supra probavimus.* Mihi sane nullo modo probari posse videtur τρόπες funes anchorarios significare, ex eo quod τρόποι δερμάτινοι in Scholiaste Aristophanis, aut ipso Homero bis reperiamus, (Od. Δ. v. 782.)

Ἡρτύναντο δ' ἔρετμα τροποῖς ἐν δερματίνοισι,

nihil enim hic de fune nautica, ut omnes somniantur commentatores & Glossarii, τρόπος ibi est foramen orbiculare per quod remi immissi vertebantur (a τρέπω) δερμάτινος corio munitum, idque ut edicit idem Scholiastes, τοῦς τὰ μὲν τείχη τὰ σανιδώματα, ne tabulata tererentur. Totum igitur si placeat Athenæi locum sic intelligamus: *præterea storeæ ex crassis tabulis compositæ, catenis æreis suspensæ, muris prætendebantur.* Nam utroque loco, eadem in pagina, ab eodem auctore, τρόπον idem innuere verisimillimum videtur.

Secundus cui ex hujusmodi divinationibus male cessit locus (Hipp. Prænot. Foes. p. 44.) Ὡς ἐν τετάρτῃ τῶν ΤΡΟΠΩΝ σφαλερῶς εἴρηται —

At

Emendatio ſecunda. *Dicitur de medico* [a] ἐπισκοπέομενος τῇ ἀπειρίῃ *ut MSS habent, quum tamen tuto legendum ſit* ἀπορίῃ. Qui vero tuto ſit legendum, cum lectio iſta nulla omnino vel MSSti, vel codicis auctoritate nitatur? Rationem quidem ſubnectit Vir Cl., quia nimirum [b] *de medico dubitante, non de imperito ſermo eſt.* Sed quid igitur in eodem libello eademque pagina ſibi velint iſta?

[c] Οἱ μὲν ὄν ἔοντες ἐν ῥυθῷ ἀπεχνίης.

[d] Καὶ γὰρ ὅτοι ἀνίητροι ἔοντες.

[e] Οὐκ ἱκανὴ ἐφαίνετο ἐοῦσα τῷ νοσέειν βίη, εἰ μὴ ξυνέλθοι τῇ ἰητρῷ ΑΠΕΙΡΙΗ.

Num omnia hæc de dubitante? [f] Senſus Hipp. eſt ejuſmodi. Nec indecorum fuerit, ſiquis forte medicus in anguſtiam redactus, & propter rei *inexperientiam* tenebris circumfuſus, aliorum etiam conſilia, in ægri ſubſidium ſalutemque, adhibuerit. Nam in tanta morborum varietate, interdum hærere paululum, aut etiam neſcire; non tam medici imperitiam, quam humanæ ſortis imbecilli-

At vero, cum hac judicandi methodus ſit periculoſa.--- Etiam hunc locum Lindanus (p. 466.) interpreteſque πόρῳ ſubſtituentes ſollicitaverunt, de quibus ita P. Martianus, Hippocratis interpres elegantiſſimus; *ſatis temere igitur* ΤΡΟΠΟΥ *in* ΤΟΠΟΥ *commutantes plurimi interpretum falſam reddunt ſententiam*, &c. (Proſp. Martian. Prænot. Com. 3.)

a Hipp. Præcep. Foeſ. pag. 27.
b Trill. p. 11.
c Hipp. Præcep. Foeſ. p. 27.
d Ibidem.
e Hipp. Præcep.
f De medico imperito Hippocratem loqui cenſet Foeſius. (Oeconom. in βίσθη) *Agitur enim de medicis, qui methodo medendi deſtituti --- cum quibus de methodo medendi conferre nolit Hippocrates.*

tatem

tatem arguit. [a] *Neque enim erubeſcendum eſt, ſi haud ſemper nobis liceat, qua ratione morbos aut gignat aut abigat natura, ſuſpicari.* Stet igitur prior lectio; animi enim leviſſimi & deſultorii eſt, puerilis omnia immutandi pertinacia.

Emendatio tertia. [b] αἰτήσαιμι βάδην *omnia exhibent exemplaria teſte Foeſio, & tamen eſt monſtrum.* Codices exaratos ſe nullos vidiſſe fatetur [c] Vir Cl. imo ut impreſſos ſatis verſarit vereor. Charterii enim Editio, de qua ſententiam nimis ſeveram [d] tulit, aperte exhibet & rectiſſime.

[e] αἰτήσαιμι δ' ἂν ἰατροῦ βοηθείην.

Pergit Vir Cl. *malim tamen cum Mercuriali* βαχήν. Hæc iterum a Foeſio [f] ſuo mutuatur Vir Cl., Foeſius a [g] Zuingero deſcripſit, & ipſe omnes in fraudem illicit. Nihil enim ejuſmodi *ſuſpicatur* Mercurialis, quoad ipſe inveſtigare poſſim: Ille in textu [h] βάδην retinet, in verſione *auxilium peterem* reddit, in adnotationibus ſilet. Accurato igitur in ſcriptore quod laude digniſſimum videtur, ſi præcepta nempe quæ tradiderit, exemplis etiam illuſtrarit; id feliciſſime aſſequutus eſſe Vir Cl. vide-

a Freind. de febribus commentar. p. 60. b Trill. p. 11, 12.
c Trill. pag. 10. d Trill. pag. 8, 9.
e Hipp. Præcep. Charterii Editio Cap. 5.
f Vid. Foeſ. Oeconom. in βάσθη.
g Zuing. in Hipp. præcept. pag. 113.
h Mercurialis Hippocratis editio. Claſſ. 4. p. 6.

tur

tur, qui hoc in loco, ſuperius quod edixit, abunde confirmavit, [a] *Satius eſſe limpidos adire fontes, quam ex paludoſis interdum rivulis aquam inſipidam haurire.*

Emendatio quarta. [b] *In libro de carnibus* (σαρκῶν *enim legendum, non ut vulgo fit* ἀρχῶν.) Cum de libri hujuſce titulo (imo etiam auctore) apud eruditos diſceptetur, & adhuc ſub judice lis ſit, etiam Vir Cl. [c] *limatum ſuum judicium velit interponere*; ſed in critica hac palæſtra neminem, ita me Dii ament, vidi infeliciorem. Nam primo libellum hunc περὶ ἀρχῶν [d] *vulgo* inſcribi contendit: quam inſcriptionem cum unica Mercurialis editio repræſentaret, iſta Viri Cl. aſſertio portenti quoddam videbatur, & typographi potius, quam doctiſſimi Editoris erratum: ſed hoc cavit Vir Cl. dum bis latine vertit, *in libro de carnibus*. Quo id conſilio fingi poſſet, nullus video; niſi forte Viro Cl. id leve videbatur, ſi de ſolo Mercuriali triumphaſſet.

2do. *Vulgarem* hujuſce libri titulum, contra MSStorum [e] auctoritatem, erudito-

a Trill. pag. 1. b Trill. p. 12. c Trill. p. 5.

d Notatu non indignum eſt Virum Cl. emendandi ſtudio abreptum hic partes Foeſii ſui deſeruiſſe; qui in Notis ad. Lib. ΠΕΡΙ ΣΑΡΚΩΝ ſatis quoque pro imperio pronuntiavit. *Hic libellus in omnibus exemplaribus* ΠΕΡΙ ΣΑΡΚΩΝ *inſcribitur.* Immane quantum diſcrepat?

e Foeſi Not. in lib. de carnibus, & Proſp. Martian. in eundem præfatio.

rum

rum * teſtimonia, ipſamque rationem, ſatis pro imperio mutandum Vir Cl. decrevit. Non enim ibi de muſculis agitur; ſed de corporis humani principiis, de concordia & conjunctione, ſeu diſcordia pugnaque Calidi & Frigidi, Glutinoſi & Pinguis, pro ſæculi quo vixit ingenio & ſubtilitate philoſophatur Hippocrates. Siquid igitur auctoritatis vel conjuncta eruditorum ſuffragia, vel manifeſta ipſius libelli indoles vendicare videantur, contra utramque Viri Cl. propoſitionem, omnes æqui rerum æſtimatores calculum laturos arbitror: Primo, nempe Librum hunc vulgo ΠΕΡΙ ΣΑΡΚΩΝ inſcribi, & tamen Secundo ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ potius inſcribendum eſſe. Siquis igitur in hac cauſa perverſe de induſtria judicare velit, non felicius ſane aberrare poſſit, quam ſi Viri Cl. veſtigiis inſiſtat; ſi eandem joco ſententiam ferat, quam ſerio,

* ZUINGER (pag. 114. In Hipp. ΠΕΡΙ ΣΑΡΚΩΝ ſive ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ) Ergo cum principia communia partium corporis ſtatuantur, materiale quidem humidum, formale vero calidum, non ſine ratione ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ hic com. inſcribi poſſet.

HIER. MERCURIALIS (in Hippocratem cenſur. p. 13.) Librum ΠΕΡΙ ΣΑΡΚΩΝ male inſcribi, potiuſque ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ, haud difficile eſt illi intelligere qui & ſeriem verborum in initio poſitorum, & res ipſas in eo tractatas expendere non oſcitantur voluerit.

PROSPER. MARTIANUS (pag. 48. ad lib. *de Carnibus* præfat.) Etſi Codices Græci omnes præſentis libri inſcriptionem habent, ωερι βαρκων (lege ΠΕΡΙ ΣΑΡΚΩΝ) non ωερι αρχων (lege ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ *de principiis*) tamen *rectius inſcribi hunc lib. De Princip. quam De Carnibus* ſenſerunt plurimi expoſitorum, eo quod hominis principia inquirantur in hoc opere.

ſummoque cum judicio ſe tuliſſe Vir Cl. glorietur. Sed hæc cum egregia, quæ ſubjungitur, emendatione, ſatis ſuperque compenſavit.

De proxima emendatione nil certi quod proferam habeo, niſi ut Viro Cl. aſſentiam locum peſſime corruptum, &, ſine Codicum auxilio, ut poſſit in integrum reſtitui vereor: ſic ſe habet. * Καὶ ἤν τις ἐνκείσει ἀφ᾽ τόδε, ὅτι ὁμόχροιά ἐστιν. ὥσπερ τὸ στόμα, καὶ ἡ γλῶσσα, καὶ ἡ ἄλλη κοιλίη, ἔνυγρά ἐστι. *At oculo infeſtum eſt, quicquid in eum incurſat, & venti, & quæcunque ſplendidiora quam in ſeipſo ſint. Idque quis ideo fieri judicet, quod unius & ejuſdem ſint coloris. Quemadmodum os & lingua & reliquus venter, humida exiſtunt.* Et Editio & verſio Foeſiana. † *Sed qui ſenſum mihi & nexum commodum ex hiſce verbis depravatis extorquebit, næ! is magnus mihi erit Apollo – Quid ſi autem ego, ingenii mei vires, quod quam ſterile mihi ſit, nullus quidem ignoro, periculiter, huncque locum* LITTERARUM DUCTIBUS ACCURATE INHÆRENS *hoc modo legam:* Καὶ ΗΝ τις ΥΓΡΑΣΙΗ ἀφ᾽ τόδε ὅτι ΟΜΟΥ ΧΡΕΙΑ ἐστὶν ὥσπερ τὸ στόμα —— ἔνυγρά ἐστιν. An vero aut *litterarum ductibus* fideliter

* Hipp. ΠΕΡΙ ΣΑΡΚΩΝ. Foeſius p. 253.
† Trill. pag. 12. & 13.

inhæſit

inhæſit Vir Cl., aut ullo modo Hippocrati ſatisfecit hæc liberrima emendatio? imo vero cum ſene perſonato fatendum,

——————** feciſti probe,*
Incertior ſum multo quam dudum.

Equidem is ſum Vir Orn. qui conjecturas & divinationes qualeſcunque, venerandis antiquorum monumentis, haud temere ingerendas arbitror: quod ſi veniam, ſi laudem mereri uſpiam videantur, tum potiſſimum ubi rebus leviter, ſed feliciſſime mutatis, loco conclamato aptiſſima interpretatio, non tam *litterarum ductibus*, quam ipſa ſententiæ vi, & ſuo quaſi fulgore facem prætulerit. Libellus ille ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ ex quo præclara hæc ſententia deprompta eſt, juxta veteris Philoſophiæ normam deſcriptus, Democrito a quibuſdam inſcribitur Abderitæ. In quo cum multa de cæteris partibus, tum hoc in loco de *viſus* ratione & organis ejuſmodi inſtituitur diſſertatio. *Oculum dolore afficiunt quæcunque vi aliqua irruerint, & quæcunque ipſo ſplendidiora ſunt.* Καὶ ἤν τις †ἐρωτήσει, λέγω τόδε. ὅτι ὁμόχροιά ἐστιν. *Et ſiquis cauſam quæret, reſpondeo, propterea quod ejuſdem coloris ſint.* Nam quum ab innata

* Terent. Phormio.

† Ita ſcriptum eſt in margine Editionis Zuinger, p. 123. ita legit Cornarius. Ita Heurnius. Hipp. ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ. p. 163.

quadam vi, & inſita ipſo oculo luce, viſionem pendere, juxta veterem Philoſophiam, decretum ſit; cumque *æquali* [a] *actio non daretur in æquale*, quæcunque externa vel parem cum oculo ſplendoris gradum ſortiebantur (ſc. ὅσα ὁμόχροια) diſcerni non poſſe placuit: multo minus ſplendidiora. Ὥσπερ τὸ σῶμα, καὶ ἡ γλῶσσα, καὶ ἡ ἄλλη κοιλίη, ΗΝ ΥΓΡΑ ἐσι. Quaſi dicat Hippocrates. *Oculus nimio ſplendore læditur, quemadmodum palatum &c. nimia humiditate.* Nam velut ex innata luce fit viſio; ita congenito ex humore fit guſtus [b] & olfactus: qui humor ſi vel deficiat, vel redundet, ſenſus quoque eadem ratione neceſſe eſt imminuatur: quod etiam Hippocrates diſſertiſſime, [c] Ὁκοταν δὲ ὑγραινθέωσιν αἱ ῥῖνες, ἢ ἀνάλωσι ὀσφραίνεσθαι.

Emendatio ſexta. [d] *In eodem Libro* §. 19. *ubi de ſermone ſermo eſt, verba:* [e] αὐτὸ δὲ πνεῦμα ἰύγαζε ὠθεόμενον ἀφ' τὸ κενὸν ψόφον ποιέει, ἡ κεφαλὴ γὰρ ἔπηχεῖ — *poſteriora ita ſunt legenda* ἀφ' τὸ γενὸν, ψόφον ποιέει. Utram ſane lectionem prætuleris, parum intereſſe cenſeo; ſed κένον Codices cum exhibeant univerſi, cum vocis articulatio, de qua

a Vid. Zuing. in Hipp. ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ.
b Vid. Hipp. ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ de horum cauſis & operationibus.
c Hipp. ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ.
d Trill. pag. 13
e Hipp. ΠΕΡΙ ΑΡΧΩΝ Foeſ. pag. 253.

agitur,

agitur, oris in cavitate, modulante lingua generetur, ubi anguſti nulla eſt ratio; lectionem potius antiquam meo ſuffragio comprobarem.

Emendatio proxima Viri Cl., acutiſſima.

Emendatio octava. * *Sic & in libro de decenti ornatu, loco* τῇ οὐ διδακτὴ κατασκευὴ *legendum potius arbitror* οὐ διδακτὴ κατασκευή. Hunc locum cur ſollicitaverit Vir Cl. ne animo quidem poſſim concipere: ita omnia non modo clare dicta, ſed etiam eleganter: præſertim cum vocabulum inornatum ſaltem, ne dicam inuſitatum, nulla auctoritate nobis obtruſerit. Hippocrates illos medicorum perſtringit, qui ornatu plus æquo operati, veſtitus elegantiam affectant curioſiorem: illos e contra ut honeſtos & frugi collaudat, *Quibus non ſtudio elaboratus veſtitus, non arte compoſitus apparatus; ſed munda, ſimplicia, & inornata omnia.*

Per totum fere Hippocratem dum Viri Cl. legam veſtigia, facto jam itinere, ad extremam Epidem. librum, extremamque Viri Cl. emendationem deventum eſt; de qua, cum locus omni ſenſu careat corruptiſſimus, cum libellus ipſe ex quo laudetur ſpurius ſit, cum nihil ex iſtis ruderibus Vir

* Trill. pag. 14.

Cl.

Cl. laborem quod compenſet eruiſſe videatur, Te nugis hujuſmodi Vir Ornatiſſime, non morabor. De emendationibus vero hujuſmodi dicam plane quid ſentiam. Si primis litterarum inſtauratoribus, vitioſa hæc emendandi libido auſpicium feciſſet; ſi conjecturis & divinationibus indulſiſſent; ſi dubia, certis; falſa, veris; ſubditicia, genuinis (ingenio ſi diis placet innixi) conglutinaſſent; * ſi *ferro* denique & *igni* cum Viro Cl. in ſacroſancta antiquorum penetralia, impetum feciſſent;

– Quid nunc eſſet vetus, aut quid haberet,
Quod legeret tereretque viritim publicus uſus?

Trill. Pag. 16.

De ſtilo & dialecto Hippocratis.

Prælongam ſane de ſtylo & dialecto Hippocratis diſſertationem, quam ex teſtimoniis & præloquiis eruditorum unde unde Vir Cl. extricavit, *decem* paginis illevit: nihil tamen quod non Tu Vir Orn. in breviuſculo tuo † procœmio, plenius & melius

* Trill. pag. 7. *Ubi enim urendum & ſecandum ibi nihilominus linimenta adhibet & cataplaſmata, & dubitanter ſubſcribit, qua tuto in textum erant recipienda.*

† Vid. Freind. Comment. in Hipp. Lectori S.

tradi-

tradidiſti, tota hac farragine nobis propinavit.

Styli quidem varietatem, dialectorum confuſionem, & vetuſtatem Hippocrati præ cæteris antiquorum injurioſam, olim eruditi doluerunt. At quo tandem cum ſcriptore tam præclare agitur, ut vetuſtate illibatus, aut inſcitia incorruptus, nativa ſermonis puritate, in noſtrum hoc ævum deferatur? Ea obſervantia, ſtudioque inter Ionicos Herodotus, inter Atticos ſcriptores inclaruit Thucydides, ut de iis Photius [a] prædicaverit, Ἰωνικῆς ἀκριβείας κανὼν οὗτος ἂν εἴη, ὡς Ἀττικῆς Θουκυδίδης. In utroque tamen ſe prodit non rara Dialecti variatio; ſeu ſcribarum incuria [b], ſive commentatorum audacia [c] puriſſimos illos fontes turbaverint; ſive ipſi propriam dialectum (ſed quo fodes conſilio?) aliena de induſtria temperabant. Nec aliena, nec inutilis forſitan videatur diſceptatio, ſi pauciſſimis diſpiciamus, utrum hæc culpa cum [d] Viro Cl. in ipſos auctores; an cum [e] Galeno, [f] H. Stephano, [g] Camerario, aliiſque viris doctiſ-

a Vid. Phot. Biblioth. P. 59. Edit. Rothomag. 1653.
b Vid. Winterton. Præfat. in Hipp. Aph.
c Vid. Galen. in 6. Epidem, ubi fuſius de hac re.
d Vid. Trill. p. 17.
e Vid. Galen. Præfat. in 6. Epid. & comment. 1. in lib. eundem.
f Vid. H. Steph. in Herod.
g Vid. Camerar. de Ionic. dialect.

ſimis,

ſimis, in ſcribarum & commentatorum gregem ſit rejicienda [a].

Hippocratis ut nunc ſe habent exemplaria, non ſolum Attica priſca (quam maximam cum Ionica habere affinitatem Camerarius [b], quam eandem cum Ionica eſſe docet [c] Strabo) ſed Dorica etiam dialecto ſcatent; quum tamen ex [d] Æliano conſtet ipſum Hippocratem, Democriti hortatu, Ionicam, ut elegantiorem, [e] Καὶ τὴν τοῖς πότε χρόνοις μάλιςα ἄνθουσαν, patria (i. e. Dorica) poſthabita ſibi adoptaſſe. Quo igitur conſilio Hippocrates varia confuſaque dialecto, ſcripta ſimplicia deturparet? Ecquid Sermoni ſuavitatis accederet, ſi peregrina vernaculam, ſi aulica ſubruſticam, Ionica denique Doricam miſcuiſſet? Aut magnum feciſſet, ſi, quam ipſe Democriti auctoritate, ſuoque ſuffragio dialectum repudiaſſet, puerili mox inconſtantia monumentis verſicoloribus intexuiſſet? Eſto igitur pura, integra & perpetua dialecto, ab Hippocratis calamo ſua ſcripta manaverint; unde ergo varietas & confuſio hodierna enaſcatur? [f] Galenum audiamus. Ἔνιοι δὲ

a Vid. Adriani Junii ad lectorem poſt verſionem Caſſii problem.
b Vid. Camerar. in Herod.
c Vid. Hieron. Mercurial. in Hipp. cenſur.
d Vid. Ælian. ΠΟΙΚΙΛ. ΙΣΤΟΡ. Lib. 4.
e Vid. Dionyſ. Hal. Judic. de Thucid.
f Galen. in 6. Epid. Com. 1.

ἢ ἀφ' ἓ Κ γεγράφασιν ΟΚΟΣΗΣΙΝ, ἀλλὰ ἀφ' ἓ Π τὴν δευτέραν συλλαβὴν, καθάπερ ὁ Καπίτων ἢ τοῦτο μόνον, ἀλλὰ ἢ ΠΑΝΤΑ τὰ τοιαῦτα. Actum eſt igitur de Ionica dialecto. *Idem Galenus, Πάντων δὲ τῶν ὑπαλλαξάντων τοὺς παλαιὰς γραφὰς τολμηροτάτους τοὺς περὶ Καπίτωνα ἢ Διοσκορίδην εὑρίσκω περιττοὺς τοῦτο. Cum voces igitur immutandi, ſententias detorquendi, dialectum refingendi, indignam ſibi licentiam commentatores arrogarint; quid mirum ſi longo temporis intervallo, ſententiarum obſcuritas, ſtyli varietas, aut dialecti confuſio ſuboriatur? Quod ſiquis ipſos ſolutæ orationis auctores (poetis enim cum ob temperandam argumenti gravitatem, tum Doricam propter tibiam Choris ſemper aſpirantem, hanc licentiam nemo non indulſerit) hac incuria onerare prætulerit, nulla tamen Hippocrati quæ non aliis omnibus inuretur labes. †Ἐπεὶ δὲ πάλαι αἱ συνηθείαι ταύτῃ κέχρηνται τῇ περὶ τὴν ἀφέλκυσιν φορᾷ — πόθεν τὸ πᾶσι τοῖς ἀρχαίοις εἰρήμενον συμβέβηκεν, τοῦτο καθ' Ἱπποκράτους κεκομίκασι μόνως; Non diutius Vir Orn. Te in hac cauſa morabor, quam unum alterumve locum in hac diſſertatione notatu digniſſimum indicavero; idque eo præcipue intuitu, ut quid de ſe Vir Cl. promiſerit, quam religioſe obſervarit, videamus ‡.

* Ibidem. † Vid. Erotian. ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.
‡ Trill. p. 73.

TRILLERUS, Pag. 17.

Licet enim Dorienſis fuerit, mutaſſe tamen ruſticam dialectum in mollem S. Ionicam, idque eodem Ælliano auctore. QUAMVIS CONTRA DISSERAT, ALIASQUE RATIONES AFFERAT MERCURIALIS.

MERCURIALIS, P. 4. Cenſur. in Hipp.

Quem quidem ſcribit Ælianus cum eſſet Doricus, a Democrito — monitum Ionica lingua ſcripſiſſe.

TRILL. Pag. 19.

Quum Galenus — doceat dialectum Atticam κα᾽ π uſurpaſſe.

MERCUR. Cenſur. P. 5.

Vt vere dixerit Galenus Hipp. — Lingua Attica priſca ſecundum nonnullos uſum.

TRILL. P. 18.

Dorica dialectus ipſi erat ἔμφυτος — *— hinc fieri non poterat, quin, dum Ionice ſcribere affectaret, chorda nonnunquam aberraret Dorica.*

MERCUR.

MERCUR. Annot. 9. in Lib. Hipp. de Loc. in Hom.

Neque ullus mirari debet Hipp. interdum Doricis vocibus uti, quoniam Ælianus ſcribit, Hipp. origine Doricum extitiſſe, perſuaſum vero a Democrito Ionice ſcripſiſſe.

TRILL. Pag. 20.

Verum alia adhuc reſtat ratio ſtili iſtius varietatis, quæ cum certior ſit his quæ modo allegavi, minime licet flocci pendendis, ita miror eam ERUDITORUM *qui de Hipp. ſtilo aliqua diſſeruere* NULLI *in mentem veniſſe quum tamen illa in aprico ſit. viz.* *Ιπποκράτης γέγονεν ἀνὴρ Ομηρικὸς τὴν φράσιν.

MERCUR. Cenſ. in Hipp. P. 5.

Hippocratem autem virum fuiſſe in phraſi Homericum. Hæc ſunt arcana illa prædicanda, quæ alios eruditos hucuſque fefellerunt! hæc ſunt ipſiſſima diſſentientium verba; ex quibus cum Mercuriali Vir Cl. non tam pugnare; quam ab illo omnia ſua expreſſiſſe potius videatur. Idem ille eſt ni fallor, qui benevoli candidique animi officia de ſe toties pollicetur, † *Mihi enim ita me Deus amet, moris non eſt*

* Vid. Erotian. ΠΡΟΟΙΜ. † Trill. p. 73.

tantis viris, qui me ipſum docere poſſunt contrariari. Quam ſanctiſſime vero obſervarit vide: qui a Te Vir Orn., Galenoque, & Mercuriali, cæteriſque magni nominis viris, quibuſcum ſentire alii maximæ ſibi laudi ducunt, diſſentiendi quodam quaſi deſiderio flagrare videatur.

TRILLERUS, Pag. 27.

De Lib. Epidem. numero.

Cum de ſcriptis Hippocraticis tam copioſe & fideliter, * Galenus, † Mercurialis, ‡ aliique diſſeruerint, ſiquis vel jam dicta iterare, vel nova adſtruere incaſſum allaboret, periculum ſane eſſet ne utrinque faſtidium lectori moveretur. Verum enimvero cum Libelli ſexaginta aut plus Hippocratis nomen præ ſe ferant; cum ex tanta familia quatuor ſolum modo pro germanis in confeſſo habeantur, (viz. Epidem. primus & tertius, Aphoriſm. & Prognoſt.) Non abs re forſitan fuerit, ſi cauſas modoſque breviſſime exponamus, qui fieri potuit, ut paterfamilias, qui jus trium liberorum vix vendicaret, tam numeroſa progenie ſtipareturr.

* Vid. Galen. Com. in Ep. 6. & per omnia fere opuſcula.

† Vid. Hier. Merc. in Hipp. cenſ.

‡ Heurn. oratio de Orig. Medicin. & ejuſdem in ſingulos libellos Præfat. Vid. Proſp. Martian. de lib. Hipp.

Æſcula-

Æſculapius, medicinæ ille parens, a quo decimus tertius numeratur Hippocrates, quam ipſe ſumma cum laude, & honoribus divinis artem excoluerat, eandem liberis nepotibuſque, patrimonium quidem pulcherrimum legavit. Ex quo factum eſt, ut omnis fere medicinæ honos & exercitatio, per mille citciter annos, non dico eadem in gente aut ſchola, ſed in eadem familia, intra eoſdem parietes premeretur. In longa hac perpetuaque medicorum ſerie, multi Hippocrates a * Suida & Galeno memorantur; qui magnum licet Hippocratem non æquis paſſibus ſequerentur, ingenii tamen haud mediocria plerique monumenta prodiderunt; quorum ſuus cuique diu conſtabat honos. Verum cum librorum quovis tandem pretio redimendorum, honeſta regibus Ægyptiis inceſſiſſet æmulatio; recondita quæque perſcrutandi, monumenta deperdita eruendi, venalia fingendi, per totam fere Græciam ſubdoli librorum coemptores, quæſtum uberrimum occeperunt. Multa itaque ut aliis in artibus, ita rem medicam quoque ſpectantia fingebantur; multa ab aliis Hippocratibus olim conſcripta, reſarciebantur; donec unum addendo, itemque aliud, ex parvo ſimplicique Hippocratis opuſculo, opus grande

* Vid. Suid. in Hipp.

varium-

variumque conflaverint. Neque ullus ſane demiror, perfidos iſtos ſcientiarum omnium caupones, liquidos quoque medicinæ fontes, ſpe lucri ducente, inquinaſſe: illud unicum mihi portenti quiddam videtur; poſt dirum Alexandrinæ Bibliothecæ incendium, cum res integra eſſet; incorruptos illos litterarum inſtauratores Capitonem & Dioſcoridem, qui Hippocratem privatis jam concluſum parietibus, vetuſtatis livore vendicatum, orbi litterato redonabant; illos inquam tot abſurda, tot craſſe compoſita, divino illo ſcriptori indiſcriminatim adjudicaſſe. Quaſi auctoris pretium dignitaſque non materia & ingenio ſcriptorum, ſed mole & numero eſſent æſtimanda. Inter hos Vir Cl. nomen ſuum profitetur; quippe qui per totam epiſtolam id unice contendat, ut Hippocrati libros, quos non ſcripſerit, adſcribat; doctrinas, quas non intellexerit, aſciſcat; & iis demum artibus ſe ſolum Hippocratis dignitati ſatisfeciſſe venditat. Pag. itaque 27. inſtituti ſui memor, omnes ſeptem Epidem. libros, *Hippocrati tribuere nullus veretur, nulla licet* Galeni *habita ratione*, qui eos ſolos, quos tu Vir Orn. publici juris feciſti, recum pro germanis habet: ſed qua ratione ſi placet videamus.

TRILLER. Pag. 27.

Septem, ut notum, Epidemiorum numerantur libri: ex his primum & tertium pro genuinis habet Galenus, ceteros fere tanquam ſpurios rejiciens: ſextum tamen immo & ſecundum item quartum ex parte, ab Hippoc. quidem ſcriptos, *ſed ad privatum tantum uſum*; a Theſſalo *vero aliiſque poſt eum interpolatos editos*. Hoc quaſi Galeni placitum, ſine ullo interea teſtimonio, nobis Vir Cl. obtrudit; cum nihil tamen ab ejuſdem ſententia magis abhorrere poſſit. De libro 2do Epid. ita Galenus *. Τὰ δὲ περιεχόμενα ἐν τῷδε τῷ δευτέρῳ —— οὕτω διάφορα, καὶ ἀποκεχωρισμένα ἀλλήλοις εἰσὶν, ὥστε οὐκ ἀφ' ἑνὸς γ' ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ ἢ ὑέος αὐτοῦ ΘΕΣΣΑΛΟΥ γεγράφθαι δοκεῖν. De cæteris hæc Galenus. † Τὸ τῆς ἑρμηνείας εἶδος ἐν τῷδε τῷ βιβλίῳ (viz. 6to) πάμπολυ διαλλάττει τοῦ κατὰ τὸ πρῶτον καὶ τρίτον τῶν Ἐπιδημιῶν, ἃ πάντες ἡγοῦνται γεγράφθαι πρὸς ἔκδοσιν ὑφ' Ἱπποκράτους μόνα· τῶν δ' ἄλλων πέντε, τὸ μὲν πέμπτον τε καὶ ἕβδομον ἐναργῶς εἶναι νόθα. τὸ δὲ ἕκτον, ἢ πρὸ αὐτοῦ τὸ δεύτερον, ἐξ ὧν αὐτὸς Ἱπποκράτης ἑαυτῷ παρεσκευάσατο, ΦΑΣΙΝ ἀπὸ Θεσσαλοῦ τοῦ ὑέος αὐτοῦ συντεθῆναι. καί

* Vid. Galen. Comment. 2. in 2. Epidem.
† Galen. Præfat. in Epid. 6.

πινες

τινες μὲν ΗΓΟΥΝΤΑΙ ϗ αὐτὸν π παεαγεγραφ τὸν Θεσσαλὸν, τινὲς δὲ ἄλλως τῶν μεῖ αὐτόν. In loco priore, ſuam Galenus exponit ſententiam; in poſteriore, aliorum conjecturas recenſet: quas viro maximo cum injurioſe Vir Cl. imputarit, dein ipſum eo nomine graviſſime proſcindit: Vides Vir Orn. qua fidelitate, quove ingenio a quibuſdam auctores allegantur.

TRILLER. P. 27.

Huic Galeni de Epidemiorum libris judicio ſeu Commento, poſtea Eruditi, acervatim catervatimque ſubſcripſere. Quo candore, qua comitate Galenum, alioſque eruditos Vir Cl. excipit? Illius fidelitatem, & horum acumen, cum ſolus ipſe errarit, in dubium vocat: hunc nempe ficti falſique inſimulat, nec ipſis eruditis fraudem ſuboluiſſe. Jam vero ad ingens opus ſe accingit, Vir Cl., utque omnes Epidem. libros Hippocrati adſcribat, magno molimine contendit; gratiam ab ipſo, ſi rite auguror, haud reportaturus parem. Idque primo auctoritate Erotiani, * *Qui quum longe ſit antiquior ipſo Galeno — omnes 7 — Epid. libros Hippocrati tribuere nullus veretur.* Dii boni! quot ſententiæ, tot errores: nec enim Galeno, ut qui Neronis

* Trill. pag. 27. & 28.

rem-

temporibus floruerit, *longe* antiquior Erotianus; nec ille *omnes Epid. libros Hippocrati* uſpiam *tribuit*. Inquiet forſitan Vir Cl. Nonne omnes recenſet? imo & quos ipſe * ſpurios fatetur. Nonne ex omnibus voces explicandas allegavit? Imo & ex iis quos germanos eſſe nemo contendet. Quantulum igitur auctoritate Galeni, egregio hoc Erotiani teſtimonio ſubtrahitur? Sed hac ſi parum ſucceſſit, alia Vir Cl. aggredietur via; ipſum Galenum in jus vocabit, & ei grandem impinget dicam.

TRILL. Pag. 29.

Quis inquam Galenum quæſo docuit, primum & tertium Epid. libros – ſolos fuiſſe ab Hippocrate ſcriptos ὡς ἐκδοσιν, *ut ederentur? – Unde novit* 5ti *auctorem Draconem, –* 7mi *vero – longe juniorem eſſe? Qui ſunt illi omnes qui illud putant, qui dicunt? Cur id dicunt? Altum hic ſilentium.* O ingenium prædicandum! quaſi crediderit Vir Cl. Galenum quemvis ex triviis, aut media turba eruiſſe. Sed dicam, quinam ſint illi ϗέδον ἅπαντες, imo ipſe dicet Galenus. † Ὡμολόγηται ϗέδον ἅπασι τοῖς ἐξηγησαμένοις αὐτόν. Et quinam ſane

* Vid. Erotian. ΤΩΝ ΠΑΡ. ΙΠΠ. ΛΕΞ. ΣΥΝ.
† Vid. Gal. Com. 1. in Aphoriſm.

judices in hac cauſa potiores, quam ii, qui data opera ad vivum reſecuerint omnia? Quod ſi nova & præclara hæc diſputandi ratio, Viri Cl. auctoritate, invaluerit, nihil eſt in hominum fide tam ſpectatum, antiquorum in auctoritate tam certum, in hiſtoria denique tam manifeſtum, cui non, præclara hac ſubtilique diſputandi ratione, fides derogari poſſit. Siquis enim Cannis Romanos a Pœnis fuſos contendat, idque Livii, Polybii, Appiani aliorumque fide aſſerat, nihil teſtimoniis Vir Cl. movetur, ſtatim enim ſubjunget, *Quis quæſo docuit Livium? Unde novit Polybius? Qui ſunt qui id dicunt? Cur id dicunt?* Et multis ejuſdem ſane momenti inſtabit argumentis. Sed eſto, levius in hac parte deliquerit Galenus: atrocioris tamen flagitii, eodem delatore (imo & eodem jure) reus ſiſtitur.

TRILL. Pag. 30.

Apparet ipſum Galenum ſui, ut ſæpe ſolet, oblitum, omnes hos ſeptem Epidem. libros pro genuinis Hippocratis libris habuiſſe. Actum ſane eſt de nobis, hoc ſi verum ſit modo: ſed unde conſtat? *Allegat* * *enim ſecundum in gloſſario —*

* Trill. pag. 31.

Me-

Meminit ibidem quarti & quinti—In ſextum commentatus eſt—Septimum autem citat. Hæc etiam, a priore non multum abludit, egregia diſputandi ratio: Galenus omnes Epid. libros allegavit, Ergo omnes pro genuinis habet. Quid vero ſi millies ſingulos laudaſſet? quaſi vero fieri non poſſet, ut quo lautius inſtrueretur Gloſſarium, ex ſpuriis quoque voces explicandas, uti Erotianus, de induſtria decerperet. Et ita ſane factum eſt. In ipſo enim Gloſſarii procœmio ut omnis oblatrandi anſa, rudioribus & incautis præcideretur, ita Galenus diſertiſſime prædixit, * Επὶ τὴν ἐξήγησιν ἤδη τῶν γλωττῶν ἀφιξόμεθα, ΠΑΝΤΩΝ τῶν Ιπποκράτει ΕΠΙΓΕΓΡΑΜΜΕΝΩΝ βιβλίων ἐκλέγοντες αὐτὰς, ἐκ ἐκ τῶν ΓΝΗΣΙΩΝ μόνον. Quare hæc cum ita ſe habeant, Vir Cl., †*cum de hac re alibi ex inſtituto plura,* Galenum ſi forte errantem, vel eruditorum quempiam, qua comparati ſunt omnes imbecillitate, deprehendiſſe videare, parcius proſcinde; ſic ipſe eadem in trutina poneris. Quod morborum indicaturas, quæ ſub finem hiſtoriarum tertio Epidem. libro occurrunt, in accuratiſſima tua editione non adſcripſeris; id optimo conſilio factum, etiam Vir Cl. tibi gratulatur: unum tamen

* Vid. Galeni ΤΩΝ ΙΠΠ. ΓΛΩΣ. ΕΞΗΓ ΤΟ ΠΡΟΟΙΜ.
† Trill. pag. 31.

[a] *te minus advertente in textum irrepſiſſe ipſe*, qua eſt ſagacitate, *obſervavit*. De quadam, angina quæ dolebat (p. 70. Editionis tuæ) dicitur, Πέμπλῃ ἀπέθανε κυναγχικὴ. *Quinto die angina periit*. Vocem illam (κυναγχικὴ) Vir Cl. contra librorum fidem, Tuique Vir Orn. auctoritatem, ſatis pro imperio delendam edicit: etiamſi porro ita Hippocratem ſcripſiſſe a Galeno luculentiſſime perhibeatur. [b] Καὶ αὐτὸς δὲ Ἱπποκράτης ὥσπερ μαντευσάμενος, ἐπὶ τῇ τελευτῇ τῆς διηγήσεως προσέγραψεν, ἀπέθανε ΚΥΝΑΓΧΙΚΗ. Quaſi vero id ſupervacaneum videatur, quod non modo accuratam in ſcriptore induſtriam, ſed abſolutam in medico ſcientiam indicavit. Utcunque enim quæ dolebat, ineunte morbo, angina tentaretur, inveteraſcente tamen, vel peripneumonia, vel empyemate mortem obire potuiſſet: namque [c] exitum hujuſmodi non raro anginæ ſortiuntur. Ita ipſe Hippocrates teſtatur. [d] Ἢν δὲ ἐς τὸν πνεύμονα τραπείη, παραφροσύνην τε ποιέει, καὶ ἔμπυοι ἐξ αὐτέων τινες ἐς τὸ πολλὰ γίνονται. Quem in locum Heurnius [e] *Medicus* ille *incomparabilis* ita

a Trill. p. 33.

b Gal. Com. 1. in Epidem. Lib. III. Chart. Edit. Vol. 6. p. 240.

c Galenus quoque, libello de pulſibus ad Tyrones, anginæ exitum hujuſmodi ex pulſus motu docet expectandum. Εἰ μὲν γὰρ τὸ περιπνευμονικὸν εἶδος ἐπικρατήσειεν, εἰς περιπνευμονίαν· εἰ δὲ τὸ σπασμῶδες, εἰς σπασμὸν ἢ συνάγχη τελήσει.

d Hipp. ΠΡΟΓΝΩΣΤΙΚΟΝ. V. Lindan. p. 467.

e Trill. pag. 70.

diſ-

disſeruit. [a] *Unde ex angina, peripneumonia; ex peripneumonia, empyema.* Egregia igitur hæc obſervatio [b] *quin ſupervacua ſit, nec ipſe Vir Cl. dubitabit.*

TRILL. Pag. 33.

Emendationes in Libb. Epid. 1 & 3 variæ.

Periculoſiſſimam ſane ſortitur provinciam, ſi cui demandatum ſit vel emendare, vel reprehendere, quæ a calamo tuo caſtigatiſſimo, Vir Orn., profluxerint: eo judicio, elegantiaque componuntur omnia. Id autem muneris, ardui non minus quam ingrati, in quod importunitate officioſa ſe Vir Cl. intruſerit, adeo perverſe ſibi comparatum eſt, ut ubi maximum induſtriæ, ſummamque vigilantiam adhibuerit, ibi mancum opus & mutilatum: ubi vero remiſſior fuerit, & maxime indiligens, ibi accuratius perfectiuſque relinquatur. Cum nulla itaque, Tuis in ſcriptis, emendandi detur occaſio, an benevoli, an honeſti viri officio defungi videbitur, qui *Sincerum cupiet vas incruſtare?* [c] *In libro Epidemiωn primo* (*Sect.* 1. §. 2. *Edit. tuæ*, ἐωφθειρομένων) *Licet haud improbem hanc lectionem, malim tamen* ἐωφθινομένων, *quod melius reſpondet* τῷ

a Heurn. in Prognoſt. Lib. III. §. 13.
b Trill. p. 33.
c Trill. ibidem.

φθινώδεες

φθινώδεες κατεκλίθησαν. Locus integer sic se habet. * Πολλοὶ τῶν ἤδη πυλὺν χρόνον ὑποφθειρομένων, φθινώδεες κατεκλίθησαν. Hic Vir Cl. Lindani solius auctoritate, præclaram hanc emendationem adoptavit. Πολλοὶ τ' ἤδη πυλὺν χρόνον ὑποφθινομένων, φθινώδεες κατεκλίθησαν. Dii boni, quid refert uter utro sit prior. Verum si minutiis hisce sit immorandum, Viro Clarisſ. monstrante viam, Lectoris si minus expectationi, curiositati saltem satis feciſſe videar, dum actum agam, tuamque Vir Orn. lectionem, quæ non istiusmodi defensoribus eget, in omnibus evincam potiorem.

1. Quod ita Codices impressi, Lindani excepto, omnes exhibeant.

2. Quia propius ad illam accedit, quam MSSta repræsentant. *Viz.* ὑποφεροιμένων.

3. Quoniam ingratus ille syllabarum similium strepitus, (φθινομένων φθινώδεες) & elegantia vocum tintinnabula devitantur. *Unde Lectioni* Viri Cl. omne, ni fallor, † *quasi fulcimentum* subtrahitur. Egregia sane emendatio, quæque sequentem familiam ducat digniſſima.

TRILL. p. 34. 2da *emendatio.*

‡ Ἡ τέχνη λέγ' τριῶν, τὸ νόσημα, ὁ νοσέων, καὶ ὁ ἰητρὸς. ὁ ἰητρὸς ὑπηρέτης τῆς τέχνης &c.

* Hipp. Epid. I. §. II. † Trill. p. 34. ‡ Freind. Hipp. p. 18.

Ingrata

Ingrata repetitio τῦ ἰητροῦ, *quis non videt poſterius hic* παρέλκειν; Equidem nihil hic, quod ſine ſententiæ, diſpendio deleri poſſit video. Ipſam enim τῦ ἰητρῦ repetitionem, quam *ingratam* V. Cl. arbitratur, ipſius ſententiæ indoles depoſcit, & neceſſitate quadam adſcribitur. *Placet præterea eorum Codicum lectio qui loco* τῆς τέχνης, φύσεως ὑπηρέτης *exhibent, ut teſtatur Galenus.* Placetne quoque Galeni quod ſubjungitur teſtimonium? Διαφέρει δ' ὐδὲν πρὸς τὴν ὅλην τῦ λόγυ διάνοιαν. Quorſum igitur hæc emendatio? Quia nimirum, * *Medicus rectius dici poteſt artis dominus, quam ſervus.* Me quidem quid ſit *artis dominus* etiamnum latet; ſed quo jure medicus, vel juris conſultus, vel quiſquis arti cuicunque operam navat, τῆς τέχνης ὑπηρέτης dici poſſit, ab Ariſtotele diſcat Vir Cl. † Τῶν δ' ὀργάνων τὰ μὲν ἄψυχα, τὰ δ' ἔμψυχα· οἷον τῷ κυβερνήτῃ, ὁ μὲν οἴαξ ἄψυχον, ὁ δὲ πρωρεὺς ἔμψυχον. ὁ γὰρ ὑπηρέτης ἐν ὀργάνυ εἴδει ταῖς τέχναις ἐστίν. *Nam miniſter quoddam inſtrumenti genus eſt in ſingulis artibus.* Cum medicus igitur, utpote qui ab Arte dirigatur, ejuſdem *quoddam inſtrumenti genus ſit*, τῆς τέχνης ὑπηρέτης merito audiat. Sed quid ſibi velint, ‡ *Artis Dominus, Artis Nullitas, Naturæ Tyrannus*, cæteræque ejuſmodi

* Trill. ibidem.
† Ariſtot. Polit. lib. 1. cap. 4.
‡ Trill. pag. 34. & 39.

elegan-

elegantiæ, id a Viro Cl. ardentiſſimè expectamus.

TRILL. p. 35.

Αἱμορραγίαν. *Hoc magis Hippocrateum cenſeo* &c. Quam Tute Vir Orn. ex variis lectionibus ſummo cum judicio prætuleris, eandem erudito ſuo ſuffragio etiam Vir Cl. comprobare dignatus eſt.

Ecce autem altera ejuſdem notæ emendatio! *Οἱ δὲ ἐπιῤῥιγώσαντες ἐξ ἀρχῆς καὶ κείσιν, ἢ ἐν τῇσιν ὑποστροφῇσιν ἅμα κείσει ἐπερρίγουν. Επερρίγει δ' ἐλάχιστοι μὲν τοῦ ἦρος —— *Qui vero in primo morbi decurſu ſub judicium novo rigore correpti eſſent, etiam in reverſionibus cum judicatione rigebant. Rigebant vero pauciſſimi quidem verno tempore —.* Sententiam vel magis expeditam, vel *armatam & crudelem* minus quæ expectet *manum*, ita me Dii ament vidi nullam: ne hic tamen conquievit incredibilis ille emendandi pruritus. Nam ita Vir Cl. † Τὸ *poſt verba* ἅμα κείσει, ἐπερρίγει *interpretamentum eſſe puto, nam abhorret fere a brevitate Hippocratì ſolita —.* Eſto quidem brevior ſit ſententia, ſed nonne obſcurior quoque? Eſto etiam alterum in codicibus quibuſdam non comparere. Ecquid autem in

* Friend. Hipp. p. 30.

† Trill. pag. 35.

libris

libris verſandis magis uſu veniat, quam, voces ſi conveniant eædem, ut altera librariorum vel incuria, vel ignorantia fere continuo deſideretur? Quorſum igitur manifeſta explicandi, aut emendata corrigendi, hæc moleſtiſſima affectatio?

* Πεμπτικός. *De hac voce aliquid jam dixiſti V. E. in doctiſſima præfatione* f. 24. (lege 21.) &c. Imo tam luculenter Tu Vir Orn., tam copioſe de hoc vocabulo diſputavit † Foeſius, ut fruſtra fuerit Vir Cl. qui per *tres* paginas eadem narrando, aures noſtras obtuderit; niſi eo forte factum ſit conſilio, ut obſervatio illa elegantiſſima, ſub finem induceretur. Dixiſti Vir Orn. hanc lectionem unum Charterium exhibere, idque veriſſimum eſſe libet dejerare. Quid igitur Vir Clariſ.? ‡ *Unum adhuc monebo:* τὸ πεμπτικὸς *non unus modo Charterius, — ſed jam ante eum Galenus, in ſua horum librorum editione.* Dii boni, quis antea audivit Galenum Hippocratis editorem fuiſſe? perverſa ſane Viri Cl. indoles; quam, artium ingenuarum hauſtus tam liberalis, non ita penitus emolliverit, quin ſecum prave ſentire etiamnum malit, quam Tecum Vir Orn. recta ſapere.

* Trill. p. 35.
† Vid. Foeſ. Æconom. p. 299. in πεμπτικὸς, & πεμπτικὸς.
‡ Trill. p. 38.

Pag. 35. *Editionis tuæ Vir Orn.*

Ἀπὸ κλυσματίου καλῶς διῆλθε. *Ex alvi dilutione meliuſcule habuit.* Verſio ſane juſtiſſima, quæque urbanis ſaltem auribus ſatisfaciat: ita tamen Vir Cl. * *Eſt hic quod* NOTEM *in verſione: — Vertendus erat hic locus, ab adhibito clyſmate probe proceſſere* EXCREMENTA. Quam facete? quam eleganter? Quid quod hæc ipſa verba a Te, eodem ſenſu, pro quo Vir contendit Cl., ſemper reddantur, niſi quod auribus, qua es urbanitate, parcas humanioribus; & potius quam iteratis vocibus faſtidium lectori movere, grata prætuleris delin re varietate? † Ἀπὸ κοιλίης καλῶς διῆλθε. *Alvus recte demiſit.* ‡ Ἀπὸ δὲ κοιλίης ὀψὲ κλυσματίῳ καλῶς διῆλθε. *Veſperi autem ex parvo per alvum infuſo venter probe reddidit.* Imo vero, quo magis Viri Cl. ſe prodeat ingenium, eadem illa, ſed tantum elegantius & urbanius, ipſa hæc tua Vir Orn. verſio exprimit, quæ in ſua inculta agreſtique pro egregia emendatione Vir Cl. venditavit. Nam *meliuſcule habuit* dicendo, vel *probe proceſſere* EXCREMENTA ſi dixeris, idem prorſus innuere videare. Niſi

* Trill. pag. 38.
† Freind. Hipp. de morbis Popular. p. 47.
‡ Freind. Hipp. de morbis Popular.

enim

enim vim ſuam enema ſortiatur, non *meliuſcule* æger ſe habebit, ſed onere ſuperaddito, pejus & acerbius ingraveſcent omnia. Inhoneſta igitur & illiberalis fraus eſt, in eadem cauſa aliorum ſcriptis *notam* velle inurere; in qua tuis non modo veniam indignamur,

——*ſed honorem & præmia poſci.*

Pag. 36. *Edit. tuæ.*

Λόγοι· λῆρος· *verba cum delirio.* Hac verſione nihil ſane aptius excogitari poſſit; notiſſimum enim illud ἐν ἀμφὶ δύοιν, *ſermones, delirium,* pro ſermones deliri. Sed ne hoc quidem Viro Cl. arridet, dicit enim, pag. 40. Λόγοι *non tam verba ſunt, quam verboſa nugamenta.* Quod ſi λόγοι per ſe utrumque exprimat, quorſum ſubjungitur λῆρος? Num *id* quoque *poſtulat* * *nota Hippocratis* βραχυλογία? Verum enimvero † *ſic ſumitur Anacreonti Od.* 36. Locum pace Tua Vir Orn. adſcribam, ex quo conſtabit non minorem Anacreonti vim, quam Hippocrati, hac interpretatione Virum Cl. intuliſſe.

Τί με τὺς νόμυς διδάσκεις,
Καὶ ῥητόρων ἀνάγκας;
Τί δέ μοι λόγων τοσύτων,
Τῶν μηδὲν ὠφελύντων;

* Trill. p. 41. † Trill. p. 40.

Ain' vero λόγοι ægrorum, apud Hippocratem, & λόγοι rhetorum apud Anacreontem idem ſonare? Miſera profecto Oratorum ſors, quorum orationes a Viro Cl.

——velut ægri ſomnia vanæ
Finguntur ——

Hæc inſuper cantilena miſerrime manca eſt, & Neotericorum facetias potius, quam Anacreontis elegantiam redolet. Uſque adeo infeliciter Viro Cl. in re Critica cedunt omnia!

Ibidem Edit. tua.

Πνεῦμα — ὥσπερ ἀναχαλυμένῳ, ἀραιὸν, μέγα, *Spiratio — velut introrſum revocanti, rara, & magna fuit.* Hic Vir Cl. divinandi iterum exercet artem. * *Quid ſi legerem* ἀνακλινομένῳ *reſupino*? Tum ſententiam pro more emendatione peſſumdares: Nunquam enim reſupinato corpore, fit major aut rarior reſpiratio: frequentiſſime vero, ut in Orthopnæa, contrarium; ubi ſpiritus quidem ægre & frequentius, etiam corpore erecto peti videatur; reclinato tamen, non fit ἀραιὸν, μέγα, ſed ſtatim minuitur, & acceleratis vicibus increbreſcit.

Pag. 44. *Edit. tuæ Vir Orn.*

Σκέλεα ἐπιπόνως ἤλγει. *Crura miſere dolebat.* Ecquid Dii boni clarius? Ecquis

* Trill. p. 40.

ullam

nllam hic emendationem a Critico mordaciſſimo, divinando ſperet poſſe exprimi? Sed etiam hic Vir Cl. emendatricem male experiendo diſperdit ſolertiam. * *Mallem* σκέλεα ἐπιπόνως εἶχε. Egregia ſane conjectura, quæque, nulla auctoritate, contra omnium Codicum MSStorum fidem, in textum recipiatur digniſſima.

Pag. 50. *Edit. tuæ Vir Orn.*

Ὕπνοι οὐκ ἐνῆσαν· πυρετὸς ὀξὺς ἔλαβεν· ὑποχόνδριον ἐπῆρτο μετ' ὄγκου, οὐ λίαν σύντασις. *Somni non aderant: febris acuta arripuit: præcordium ſublatum in tumorem, nec valde tamen contenſum.* Vide ſi placet Vir Orn. quibus cruciatibus hanc ſententiam, ne cui expedita videretur, Vir Cl. torſerit: † *Abundat hic* τὸ ἔλαβεν. *quod* MOX *in principio adfuit; expungendum ergo,— nec aliud poſtulat nota Hippocratis* βραχυλογία. Hoc Virum Cl. in hac re monitum velim: 1mo. Ita brevitati ſemper proſpiciendum, ne dum brevis eſſe labores obſcurus fias. 2do. Si ſimiliter luxuriantia æqua falce compeſcantur, omnia fere *verba* per totum Hippocratem brevi fore delenda.

* Trill. p. 40. † Trill. Ibidem.

TRILL.

TRILL. P. 41.

Sed hoc levius. Majoris momenti illud videtur dubium, quod oboritur circa verba: * Υποχόνδριον ἐπῆρτο μετ' ὄγκου· οὐ λίλω σύνταsις. *Certe* τοῦ ὄγκου *S. tumoris eſſentia, conſiſtit* ἐν τῇ ξυντάσει, *ideoque non video, qui Hypochondrium, cum tumore potuit elevari, ita tamen, ut non adeo extenderetur. Aut igitur totus fallor, aut legendum loco* τ' ὐ λίλω σύνταsις, σπληνὸς σύνταsις. Præclare quidem a V. Cl. factum, qui cum in levioribus rem ſatis infeliciter geſſerit, eundem in re *majoris momenti* periculum facere. Præcipue in hac cauſa, ubi ex fertili ingenio niſi *dubium* ingeſſiſſet, miraſque ſuis emendationibus turbas concitaſſet, expeditiſſima ſane viderentur omnia. Quid enim, dii boni, aut dubium eſt, aut emendatricem quod expectet manum? in medio eſt facillima interpretatio. *Febris acuta arripuit: Præcordium ſublatum eſt in tumorem, nec valde tamen contenſum.* Sed † *certe* τοῦ ὄγκου *S. tumoris eſſentia conſiſtit* ἐν τῇ ξυντάσει. Equidem hic Viro Cl. impenſe gratulor, qui ut in Critica palæſtra paucos videtur pares habuiſſe; ita in exquiſita Naturæ & rerum

* Freind. Hipp. pag. 50.
† Trill. pag. 41.

recon-

reconditarum inveſtigatione, priorem plane neminem. Utcunque enim molles tumores in praxi oculis quotidie ſubjiciantur; utcunque de illis ipſis apud Hippocratem ſermo fiat, ([a] τὰ δὲ μαλθακὰ τῶν οἰδημάτων, — καὶ τῷ δακτύλῳ ὑπείκοντα, quos Heurnius ille *incomparabilis* exponit [b] *non ita tenſa parte*) Vir tamen Cl., qui non circum exteriora verſatur, ſed intimas rerum *eſſentias* inſolita quadam ſagacitate quodammodo intueri geſtit; ſine contenſione *inſigni* tumores ne eſſe quidem poſſe declaravit. Hæc cum ita ſe habeant *non videt* Vir Cl. *qui Hypochondrium potuit elevari, ita tamen ut non adeo extenderetur.* Sed videt Hippocrates, videt ille toties laudatus, ille [c] *fere a puero dilectus* ſenex. Multa in hac cauſa adduci poſſent teſtimonia, ſed aptiſſima videbuntur, quæ ex illo ipſo libro fuerint allegatâ, quem etiam nunc emendationibus Vir Cl. occupavit. Epid. libri 3. ipſo in limine Ὑποχονδρίου ἔντασις ὑπολάπαρος, *Hypochondrii contenſio ſubmollis.* Libro eodem paulo inferius. [d] Σπλὴν ἐπήρθη, — ὑποχονδρίου δεξίου σύντασις ὑπολάπαρος. Rectiſſime quidem obſervat Hippocrates, inflammato liene, præcordium quoque aliquan-

a Hipp. Prognoſt. lib. 1. §. 24.
b Heurn. in Hipp. Prognoſt. lib. 1.
c Trill. pag. 4.
d Freind. Hipp. pag. 62. lin. 9.

tiſper

tiſper contendi; ſed nunquam efficiet Vir Cl. ut id vice verſa, prout in ſua emendatione, ponatur. Stet igitur tua Vir Orn. lectio quæ MSS. omnibus, quæ Hippocrate, quæ ratione confirmatur. Cum tot inſignes emendationes, tot præclara ingenii & acuminis monumenta, in libro 1. Epid. Vir Cl. prodiderit; ad tertium jam tandem progreditur, magnas ab omnibus artium humaniorum, ingentes vero ab Hippocratis ſtudioſis, ni fallor relaturus gratias.

Pag. 58. *Edit. tuæ.*

Ἄρρωστος πρῶτος.

Πυθίων ὃς ὤκει παρὰ Γῆς λεγόν· ἤρξατο τρόμος ἀπὸ χειρῶν. Locum hunc pleniſſime explicavit * Galenus; ſive tituli loco ad hunc modum habeantur,

† Ἄρρωστος πρῶτος Πυθίων, ὃς ὤκει παρὰ γῆς λεγόν.

Ηρξατο τρόμος &c. (Idque veriſimillimum arbitor, cum libri quinti, ſimiliter in principio, ipſiſſima loquendi occurrat formula,

Εν Ηλαδι ἡ τοῦ κηπάρου γύνη.

Πυρετὸς εἶχεν αὐτὴν &c.) ſive Πυθίονι cum quibuſdam legatur. Poſtrema hæc cum ſit variata lectio ideoque quandam emendandi ſpeciem præ ſe ferat, Viro Cl. magis arridet, qui ſuas in partes Galenum, Lindanumque

* Gal. Com. in Epid. 3. §. 2.
† Vid. Foeſ. p 1060.

cogit;

cogit; [a] *Recte igitur & hoc loco ſcribit Lindanus* πυθίῳ (viz. caſu dativo) Dii boni! qualis ea eſt aſſertio; quæ primo intuitu vel puero poſſit refelli. Sic enim in textu [b] Lindanus, Πυθίῳ; ὃς ᾤκει παρὰ γῆς ἱερὸν. Sic in verſione. *Pythion qui habitabat juxta Telluris templum.* [c] *Quamvis rectius* πυθίωνι, *nam ſic Galenus legit* &c. Eodem jure quo antea Lindanum, jam nunc Galenum Vir Cl. appellat. Hæc enim ſunt ipſa Galeni verba. [d] Ἀπογεγράφθαι νοήσας αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ,

Πυθίων ὃς ᾤκει παρὰ Γῆς ἱερόν.

ἐπ' ἄλλης ἀρχῆς —— τῷ διήγησιν ἀναγίνωσκε. —TINES μέντοι ἔγραψαν Πυθίωνι — *Hoc cum intellexeris ſeorſim per ſe ſcriptum — ab alio initio hiſtoriam lege. — Sane quidem* NONNULLI *ſcripſerunt Pythioni.* Quid igitur, in hac cauſa ſtatuamus neceſſe eſt? Criticum ſagacitate & induſtria prædicandum, ſicut de Codd. MSStis quos nunquam vidit diſſertationem inſtituerit, ita auctores etiam, quos non verſavit, allegaſſe; Aut Editorem omni eruditione cumulatum, quos verſavit, non intellexiſſe; aut virum denique ſpectatæ integritatis, a veritate de induſtria receſſiſſe?

De eodem Pythione paulo inferius. [e] Τρόμος

a Trill. p. 42. b Pag. 712. Vol. I.
c Trill. ibid. d Galen. Com. 1. in Lib. 3. Epidem.
e Freind. Hipp. p. 58.

ἀπὸ χειρῶν· πυρετὰς ὀξὺς, λῆρος. — πέμπτῃ πάντα παρωξύνθη. — ὀγδόῃ — τρόμοι καὶ πάλιν παρέμενον. Sic in tua Vir Orn. editione optime fertur ſententia. At Vir Cl. nunc addendi, nunc detrahendi, modo ut aliquid emendaſſe videatur, ſtudioſiſſimus; ita legendum cenſet. Πέμπτῃ πάντα παρωξύνθη· τρόμοι παρέμενον· Præclare quidem factum! ſententia quæ olim ſatis recte incedebat, emendata jam miſerrime claudicat. Quam puerile enim, quam frigidum notatu, illos tremores ad quintum duraſſe, qui paulo poſt uſque ad octavum diem perduraſſe prædicantur?

Pag. 69. *Edit. tuæ Vir Orn.*

De Virgine quæ tabida deceſſit, dicitur, Εβηξε· πέπονα οὐδὲν ἀνῆγε. *Tuſſiebat: concocta nihil educebat.* Quæ ſententia cum duriuſcula ſit, inhærentem nævum eleganti conjectura, penitus eluiſti. * Πέπονα οὐδὲν, *ita habent omnes impreſſi. Quid ſi legamus* πέπον οὐδὲν; Quam parva ſit variatio, aut quam expedita ſi ſic feratur ſententia, † quam placitis porro Hippocraticis conveniens, ſupervacaneum foret enarrare, cum res ipſa loquatur. Sed Vir Cl. quaſi emendandi licentiam ſibi ſoli ha-

* Hipp. Freind. pag. 69.
† Vid. Epid. lib. 1.

buerit demandatam, magnum hoc acuminis & ſolertiæ tuæ documentum, oculo obliquo limare videtur: & quaſi ſuam in provinciam impetum fieri doleret, contra tuam Vir Orn. aſſertionem copias movet, nec omnes Codices impreſſos ea verba (πέπονα οὐδὲν) exhibere contendit. * *Non omnes Codices impreſſi ut adſertum fuit* πέπονα οὐδὲν *exhibent, nam nec Galenus habet, nec Aldus, nec Frobenus denique, ſed omnes ſcribunt* ἔξηρε πέπονα· οὐδὲν ἀνῆγε. Adeſte vos, quibus elegantiæ in deliciis ſunt, & cum ſilentio attendite, ut pernoſcatis quid ſibi Vir Cl. velit.

Tuſſiendo concocta expectoravit: nihil expectoravit.

Argumentum porro haud abſimile. *Non omnes codices* hæc verba πέπονα οὐδὲν *exhibent*, *Nam* in quibuſdam male diſtinguuntur.

2do. Ex eo quod οὐδὲν pro οὐ interdum uſurpetur, probat Vir Cl. † tuam conjecturam non eſſe NECESSARIAM. Equidem hic hæreo, nec quid ſit *conjectura neceſſaria* ‡ *hariolari queo*; illud autem polliceri auſim; ſententiam, prout Tu Vir Orn. in integrum reſtitutam ordinaveris, multo con-

* Vid. Trill. pag. 43.
† Trill. pag. 44.
‡ Trill. pag. 9.

cinniorem esse; tuamque emendationem ab omnibus, quibus puritas & elegantia horridis incultisque barbarorum vocibus humaniora videbuntur, ni fallor, fore comprobatam.

P. 81. *Editionis tuæ Vir Orn.*

Ubi febrium ardentium constitutio accuratissime traditur, hæc habentur. Περὶ δὲ τοὺς παροξυσμοὺς, λήθη, ἢ ἄφεσις, ἢ ἀφωνία. *At vero sub ipsas accessiones, oblivio: & nervorum resolutio: & vocis defectio.* Febris sc. nervos tanta vi invaserat, ut gravissima coorta sit paralysis, ut ipsa vox deficeret, sensusque torperent. Hic Vir Cl. contra omnem librorum, codicumque, interpretumque fidem, κώφωσιν nobis ex fertili ingenio depromsit. Quasi vero cum omnes corporis partes, etiam linguæ nervi relaxentur, non paralysis potius quam surditas hisce convenire videatur.

Proxima Viri Cl. emendatio tuam Vir Orn. editionem non spectat; sed ex principio libelli *De diebus Judicatoriis* allegatur; sententia quæ laborat, in editione Foesiana, sic se habet. * Δεῖ δὲ καταμανθάνειν τὴν κατάστασιν τῶν ὡρῶν ἀκριβῶς, καὶ τὸ νόσημα ἑκάστου, τί νόσημα ἀγαθὸν, καὶ ὅ τι κινδυνῶδες, ἢ ὀξὺ τῇ καταστάσει, ἢ ἐν τῇ νούσῳ. Quæ cum maxime depravata sit mutatione levissima,

* Ita Foes. p. 56. Ita Mercurialis & Frobenius.

sic

ſic videtur aptiſſime poſſe refingi. Δεῖ δὲ καταμανθάνειν τὴν κατάϛασιν τῶν ὡρῶν ἀκριβῶς, καὶ τῶν νούσων * ἑκάϛην· ὅ τι ΣΗΜΑ ἀγαθὸν, καὶ ὅ τι κινδυνῶδες, ἢ ἐν τῇ καταϛάσει, ἢ ἐν τῇ νούσῳ. *Oportet autem addiſcere conſtitutionem tempeſtatum, exacte, & morborum ſingulam: quod* SIGNUM *ſalutare, & quod periculoſum, aut in cæli temperie, aut in morbo.* Duæ tantum ſuperſunt Viri Cl. emendationes, quæ cum leviſſimæ ſint, nullaque prorſus nitantur auctoritate, (e. g. ubi pro † ἡμέρη δι' ἡσυχίης· ἡμέρην, aut pro ἐπῳδύνα· ἐπωδύνως, mira ſagacitate Vir Cl. legendum contendit) malui prætermittere, quam Te Vir Orn., graviſſimis ſemper occupatum negotiis, iſtiuſmodi minutiis morari.

Per aſperas ſane incultaſque Criticæ regiones, ſtadium ſatis inamœnum hucuſque decurrimus; gratior jam nunc ſe rerum prodit facies, tuoſque Vir Orn. commentarios defenſuri, in campum ſaltem uberiorem deſcendimus. In quibus ſumma ſolertia id forte cum adnotaſſes, ‡ *Signa ex pulſibus ſumpta Hippocratem, licet primus nomen Pulſus literis prodiderit, vel quia non calluit, vel quia non magni uſus exiſtimavit, prorſus neglexiſſe:* Vir Cl. quaſi ſumma medicinæ periclitaretur,

* Ita Lindani Editio.
† Trill. pag. 48.
‡ Freind. Com. in Hipp. pag. 15.

&

& ne quid detrimenti caperet ſibi ſoli habuerit demandatum; per *viginti quatuor* paginas multum fruſtra laborat, * *præjudicium inveteratum ſubvertere, & Hippocrati doctrinam de Pulſibus* ἀγαθῇ τύχῃ *reſtituere. Quo vero ſucceſſu Tu V. E. judicabis.* Duo itaque ſtatuit Vir Cl.

1. † *Pulſum fallacem & incertum eſſe.*
2. ‡ *Hippocratem pulſuum doctrinam ſolide docuiſſe.*

Quorum alterum medico indignum cum ſit, alterum Hippocratis editore; cumque tanta ſit in pulſuum varietate ſubtilitas, ut ſiquid aliud in re medica, acutiſſimam ingenii expectet ſolertiam; non abs re forſitan fuerit ſi pauliſper huic cauſæ, ſed qua fieri poſſit brevitate, immoremur. In qua diſquiſitione quaſi medium quoddam iter inſiſtens, nec pulſum, cum Viro Cl., ut rem fallacem incertamque ſignis diagnoſticis amovendam eſſe auctor ero; nec tamen cum circumforaneis quibuſdam & agyrtis, ut rem magnificam, omniumque morborum ſigna complectentem, & quandam quaſi divinationem prædicabo.

* Trill. pag. 72. † Trill. pag. 50.
‡ Trill. pag. 52.

Cum

Cum Pulſus itaque nihil aliud ſit, niſi arteriæ elevatio, ex laterali preſſura ſanguinis a corde injecti facta, ſive frequens ſive rara, ſeu fortis ſeu debilis, ſeu qualiſcunque demum fuerit cordis actio, talis etiam neceſſe eſt ſit arteriæ pulſatio. [a] *Nam ſi cordis contractio ſit validior, fieri nullo modo poteſt, ut non fortius increbreſcat pulſus.* Explorata itaque pulſus vi, etiam cordis vires, & proinde totius corporis, innoteſcunt. Nulla enim aſſignari poteſt ratio, cur non æqualiter muſculos in omnes, ſpiritus & ſanguis influant, ſive motu quodam mechanico id fiat, ſive a voluntate dirigantur. [b] *Et quid tandem eſt robur, niſi vis illa, quæ a ſanguine & ſpiritibus in membra derivatur?* Uſus itaque, ut mihi videtur, generalis, quem ex tactu in pulſibus dignoſcendis erudito ſibi medicus haurire glorietur, eſt accurata virium æſtimatio; quæ, ut optime Celſus obſervavit, [c] *Melius ex venis, quam ex ipſa ſpecie æſtimantur.* Idem etiam Alexander Trallianus, [d] Μικρὸι δὲ χ ἀμυδρὸι ἐπὶ τ ἐκτικῶν ὄντες (ſc. *Pulſus*) λύσιν τῆς δυνάμεως σημαίνουσι. Id autem quod evincit ratio, quod ſanxerunt [e] eruditi,

a Freind Emmenolog. b Freind ibidem.
c Celſ. Lib. 2. Cap. x. d Alex. Trall. Lib. 12.
e Vid. Avicen. Lib. 1. Fen. 2. Vid. Galen. de pulſibus opera omnia. Vid. Gilbert. Jacchæi. Inſtitut. Med. Lib. 4, *Quanquam pulſus primo facultatem vitalem, ejuſque ſedem cor nobis oſtendat; ſecundario tamen* ROBUR *totius corporis, & vigorem manifeſte ſignificat.*

abunde

abunde etiam experientia vel mediocri ingenio demonſtrabit. Nam ut feminæ viris ſunt manifeſte imbecilliores, undecunque illa roboris inæqualitas oriatur, ita **pulſum muliebrem fere langueſcere dicas, ſi cum Virili conferatur.* Nec abs re forſitan, nec moleſtum fuerit, ſi uno itemque altero exemplo, quid in exquiſita pulſuum ſcientia vel medico dignitati, vel ægro ſaluti eſſe poſſit, breviſſime exponamus.

Præclare quidem ab Hippocrate præceptum, † *In morbis acutis ſi vehementiores ſint, & ægri vires patiantur, venam ſecabis.* Quicquid enim poſſet vel diminuta ſanguinis quantitas ad expediendum, vel aucta ejuſdem velocitas ad abripiendum, ſi quid vaſis capillaribus pertinacius inhæſerit; id omne medico fidiſſime præſtabit rite celebrata venæſectio. Habet tamen hæc res, ut & omnia fere medicinam quæ ſpectant, non mediocrem cautionem: cum ſæpiſſime uſu veniat, ut non minore vitæ diſpendio venæſectio intempeſtiva celebretur, quam neceſſaria omittatur. Eſto igitur quemvis *Angina* graviter correptum; hoſtem acerrimum ipſas vitæ portas obſidere, vitales reſpirationi

* Freind. Emmenolog.
† Hipp. de vict. Acut.

meatus

meatus præcludere, omnemque ſubſidii copiam prævertere; quis in affectione inflammatoria ejuſmodi, non ſanguinem cum Aretæo fere ad deliquium eduxerit? (Aretæi Lib. 1. Cap. 7. De curatione anginæ.) Οὐκ ἀγενὲς δὲ καὶ μέχρι λειποθυμίης ἄγειν· μὴ μέντοι λειποθυμέειν· μετεξέτεροι γὰρ ξὺν τῇ πληγῇ ἐξέθανον ἐπὶ τῇ λειποψυχίῃ. *Et præclarum quidem eſt, ſi uſque ad deliquium ſanguinem eduxeris, ita tamen ne animo æger deficiat. Nonnulli enim, percuſſa vena, cum deliquio e vita exceſſerunt.* Verum enimvero cum fieri poſſit * ut *morbus quidem id deſideret, corpus autem vix pati poſſe videatur*, cumque uti jam ab Aretæo accepimus, in juſta ſanguinis detracti quantitate, ſalutis ſumma vertatur; ex nimia autem nihil levius quam ab ipſo morbo ſit ſperandum; quem in his anguſtiis Vir Cl. invocaret, qui pulſum, fidiſſimum Naturæ interpretem, adeo turpiter neglexerit? Certe ubicunque virium habenda eſt ratio, ſpem bonam, certamque in præſcribendo fiduciam, nulla alia ex re videtur, ac pulſuum ſcientia, æque feliciter eſſe hauriendam. Qui ſi ſolus auſpicium fecerit, huic ſoli (ut optime notavit Oribaſius) † *tanquam mi-*

* Celſ. Lib. 2. Cap. 10.
† Oribaſ. Lib. 7. Cap. 10.

nime fallaci virium robuſtarum ſigno ſemper adhibendam fidem; itaque & Septuagenariis, ſi dicti pulſus adſint, & affectio jubet, venam ſecabis.

Quid inſuper in medicina poſſet accurata pulſuum contemplatio, elegantiſſimus Jodoci Lommii, *De curandis Febribus continuis* libellus, pleniſſime docebit; cujus quidem nova editio cum maxime deſideraretur, quo ardore in publica commoda ferebare, tuis auſpiciis, Viri vero ingenioſiſſimi ſtudio curaque, prodiit haud ita pridem nitidiſſima. In quo tractatu utiliſſimo ſimul & perquam eleganti, febrium continuarum curationem, non faſtidioſa remediorum frequentia, ſed tempeſtiva venæſectione, juſtaque *victus methodo*, ægri nimirum ad vires utroque applicato *, juxta veterum medicorum normas, feliciſſime expediendam Medicus ille ſcientiſſimus docuit. Ego autem haud abſurde dicturus videor, vel qualis *victus ratio* viribus reſpondeat, vel quo ſub ſidere ſit celebranda venæſectio, Vir Cl. non ex ipſa Ephemeride inceptius quæſiverit, quam ſi ulla ex re, ſine pulſus indicio, hoc ſibi auguretur inveſtigandum.

* Vid. Hipp. Aph. 8. 10, 11. Lib. 1.

Pro-

Proximum morbi genus, in quo pulſuum internoſcendorum luculentius ſe prodit neceſſitas, *Variolæ*: morbus quidem per ſe atrociſſimus, tum ſubitis autem affectionum vicibus, & ægro & medico maxime formidandus; qui tamen, nutriculæ cuidam officioſæ, & medicinæ, ut aiunt, culinariæ, neſcio qua incuria ſæpiſſime committitur: Quaſi vero tali auxilio, aut iſtis defenſoribus res illa eſſet expedienda, quæ conjuncta medicorum optimorum conſilia, totamque materiem medicam toties eluſerit! Nec vero ille morbus utcunque horribilis, tantas per populum ſtrages ediderit, nec in tantum potuerit dominari; ex quo præclara illa medendi ratio, quæ *Cathartieis lenitivis* inſtituitur, ex Arabicis ruderibus eruta, a noſtratibus autem exculta, apud hodiernos invaluerit. Quam quidem purgandi moderationem nonnulli licet impugnarint, ejus tamen utilitas, & ratione, & experientia, & ipſius naturæ exemplo abunde confirmatur. Et certe præclarum quidem in medico eſt, aut Naturam ſequi ducem, aut veluti fidus miniſter eandem viam progredi, quam ipſa fuerit ingreſſa: juxta ſapientiſſimum illud Hippocratis edictum. * *Quæ educenda, eo ſunt edu-*

* Aph. 21. lib. 1.

cenda quo potiſſimum vergat Natura, per ſoca commoda. Quid igitur per totum hujus morbi decurſum ſibi ipſi Natura meditatur? Si tota eſt in glandulis quaſcunque poſſit aperiendis, ut materiæ putreſcentis copia foras expellatur; quid ni alias quoque recludendi, medico copiam facimus, ut etiam illa materies, cui expellendæ impar natura eſt, auxilio præſenti eliminetur? Ecquid, Dii boni! ratione ad ægri ſalutem melius ſubducta eſſe poſſit? Imo vero declinante morbo, cum per glandes miliares nihil amplius poſſit exprimi, cum ſalutiferum per ductus ſalivales ceſſaverit profluvium, cum omnis denique exitus obſtruatur; nihil ſane medium eſſe poteſt, quin aut putrida materies, in ſanguinem relapſa, intra canales obſeratur, & ægrum diluvii ritu obruat; aut glandulis inteſtinorum leni cathartico recluſis, qua data porta, effundatur. Verum ipſa hæc in variolis ſanandis felicitas, niſi acutiſſima in pulſibus dignoſcendis acceſſerit ſolertia, adeo non ægrum levatura eſt, ut præclare factum ſit, ſi non extrema ingraveſcant omnia. Quid enim, in hiſce anguſtiis, an dierum numerus anili ſuperſtitione religioſe ſervandus; an morbi ſimul & ægri vires, accurata pulſuum ſcientia, ad calculum revocandæ? Si puſtulæ igitur exareſcentes,

materiæ

materiæ febrilis copiam redundantem, in ſanguinem jam regurgitare, * novaſque turbas ciere indicaverint; an auxilio præſenti Naturæ opem feremus, an omnia hoſti inteſtino permittenda, ut quæ jam oppreſſa eſt, mox penitus affligatur. Imo, adſit graviſſima ſpirandi moleſtia, vel febre ardeat, vel torpeat æger veterno; utcunque omnia fævire, mortemque haud vano augurio prædicere videantur; ſi pulſus tamen, index fidiſſimus, virium ſatis firmarum ſpes accenderit; *Leni cathartico* rerum ſumma haud dubitanter committenda: & ſi hoſtis aliquo dolo deludi, ſi ulla vi depelli poſſit, hac arte collocandæ ſunt inſidiæ, hac pharetra tela feliciſſime depromenda. Quod ſi honores Hippocrati prope divinos, ob cives ſervatos, Athenienſes decreverint; quo honore apud ſuos, quibus præconiis apud poſteros, ii excipientur, qui præclara hac medendi moderatione, feliciſſime reſtituta; non modo præſenti ſæculo, ſed futuris etiam invigilarunt.

Infinitum ſane eſſet ſingulos morbos enarrare, qui pulſuum varietate, tactuque erudito, ab invicem poſſent diſtingui: Febres hecticas a continuis, & a diariis Tral-

* Hoc egregie confirmat Hippocrates Aph. 12. Lib. 2. *Morborum reliquiæ quæ, finita criſi, ſuperſunt, reverſiones excitare ſolent.* Quid ni igitur ſint educendæ?

lianus

lianus *hinc* docet dijudicandas. * *Quin etiam ex* PULSIBUS *quoque ſunt illi morbi dijudicandi: nam in Diariis magni & celeres, in Hecticis vero parvi languidique.* Et idem paulo inferius. *Et licet febres continuæ in hoc Hecticis ſimiles videantur, propterea quod & ipſi neque incrementum, nec decrementum admittunt; nihilominus dijudicantur, & a qualitate ardoris, & a* PULSIBUS.

Morborum porro non ſpecies ſolum ſed etiam diuturnitas, ut recte annotavit Paulus Ægineta, ex pulſibus dignoſcitur. † *Magnus, & vehemens, & celer, & denſus pulſus, acutum morbum indicat: contrarius diuturnum.* Quid tandem de pleuritide febribuſque inflammatoriis dicam; ubi nec ipſa pulſus velocitas accuratius diſtingui poſſit, quam digito etiam mediocri peculiaris quædam quaſi nervoſa durities: quæ tamen cum pendeat ab elaſtica arteriæ vi, non in corpore tenello flaccidoque, ſed in robuſto ſolo expectanda. Verum enimvero cum ſubtiliſſima ſit hæc judicandi ratio, cum nullis præceptis tradi, nullis vigiliis perfecte poſſit edoceri; ſed inſita quadam ingenii vi, & acumine ſolum, ſit haurien-

* Alex. Trall. Cap. 4. Lib. 12.
† P. Æginet. De re Medica Lib. 2. Cap. 5.

da;

da; quid mirum ſi a quibuſdam ſiniſtre excipiatur, imo ſi ut rem *fallacem incertamque* penitus exploſam reperiamus. Præclare quidem hac in cauſa Galenus, cujus teſtimonium huic diſquiſitioni modum ſtatuet. * *Pulſus itaque pleuriticorum, cum nervoſior quodammodo & durior reddatur arteria, quaſi vehemens eſſet, inexpertos fallit; qui nequeunt ictum durum, a vehementi ſecernere: ſimiliter quoque etiam alias pulſuum differentias cum vulgus medicorum nequeant diſtinguere, quæ hic tradantur fortaſſis incuſabunt, propter ſuam ignorantiam recte dicta redarguentes.*

Trill. Pag. 52.

Hippocrates pulſuum doctrinam —— ut infra palam demonſtrabitur, breviter quidem & ſparſim, ut ipſi moris; ſolide tamen docuit.

Eo jam Vir Orn. deventum eſt, ut nobile illud problema ſit excutiendum, *An pulſuum doctrinam tradiderit Hippocrates, an illius inventi, honos & gloria ſit ſucceſſoribus, poſteriſque potius deferenda.* Ad quam diſquiſitionem antequam

* Galen. de Pulſ. ad Tyrones. Chart. Tom. 5. pag. 9.

acce-

accedam, unicum hoc interea notatum velim, omnes * *haſce* Viri Cl. *circa pulſus vanitates*, quæ paginas *viginti quinque* occuparunt, licet in tuos Vir Orn. commentarios præcipue intendantur, illos tamen ne minimum quidem pertingere. Nam cum † *ſigna ex pulſibus ſumpta Hippocratem neglexiſſe* ibi ſolum dixeris, ubi de *Febribus acutis* diſſeratur, quicquid in illis commentariis traditur, ad acutas febres ſolummodo ſpectare, æqui & candidi æſtimabunt. Sed in *hiſce* morbis deſcribendis aut curandis, pulſuum doctrinam vel delibaſſe Hippocratem, nec ipſe Trillerus aſſeret. Ut hæc igitur diſquiſitio aliqua ſaltem methodo ordinetur, utque ad veritatem, cui in omni quæſtione unice litandum arbitror, quam proxime accedamus, liceat his uti poſtulatis.

* Trill. pag. 51.
† Freind. Com. in Hipp. pag. 15.

Postulatum Primum.

Siquis ullam doctrinam ſolide docuiſſe jure aliquo cenſeatur; certe in ſcriptis ejus maxime genuinis, & ubi omnia accuratiſſime obſervarit, & ubi illa apprime fuerit neceſſaria; ibi ejus doctrinæ vel præcepta, vel ſaltem veſtigia, ſunt potiſſimum quærenda.

Haud abſurda videtur hæc de placitis ſcriptorum judicandi norma; quæ ſi ſcriptis Hippocraticis applicetur, an pulſuum doctrinam *ſolide docuerit*, an penitus neſcierit intelligamus: Primo, *Aphoriſmi*, *Prænotiones*, *Morborum popularium liber primus & tertius*, ſi non ſoli ſint ex iis, qui ſigna morborum explicant, Hippocrati certo jure inſcribendi; illos tamen libros certiſſimam ipſius eſſe prolem, univerſi ſcriptores conſenſerunt. Secundo, Morborum decurſus ſumma diligentia in iiſdem Hippocrates exequitur; ſigna vel *minutiſſima* curioſa fidelitate annumerantur; & ſiquid humani, perfecte elaborata videntur omnia. Tertio, Cum in hiſce rem diagnoſticam pleniſſime tractaverit, in his quoque *pulſuum doctrina* neceſſario fuerat exponenda. Aut hic igitur, aut nuſquam eſt quod quærimus. Verum enimvero, in

hiſce omnibus libellis, Hippocrates, non modo non aliquam, vel in medendo vel in judicando *ex pulſibus* deſumpſit notam, ſed ne pulſum quidem leviſſime ſubindicavit. Imo ipſius vocis σφυγμὸς bis duntaxat in illis monumentis aliqua incidit mentio, & utroque in loco *pulſationem inflammatoriam* (quo ſenſu ante Hippocratem σφυγμὸς ſemper ferebatur) non pulſum indicari, nullo negotio demonſtrari poteſt. * Ἐπὶ ἰσχυρῷ σφυγμῷ ἐν τοῖσιν ἕλκεσιν αἱμορραγίη. *Violentæ pulſationi in ulceribus ſupervenit ſanguinis eruptio.* Quo, ſi de *pulſu* prædicetur, nihil abſurdius & ineptius excogitari poteſt; ſi de *pulſatione inflammatoria*, & ratione & experientia confirmatur. Hanc præterea vocem σφυγμὸς ſic in hoc loco definiit Galenus, † *Eſt enim talis pulſatio, cum dolore conjuncta ſenſatio.* Ecquis hoc de pulſu naturali dixerit, aut de pulſatione inflammatoria negaverit? *Prænotionum* in libro ſemel quoque in vocem eandem offendimus, ſed etiam ibi eodem in ſenſu; utcunque doctiſſimus ‡ Bellini, pulſum hoc in loco ſignificari ſuſpicatus, exinde hanc ſcientiam Hippocrati innotuiſſe contendat. Locus ſic ſe habet: ** Εἰ δὲ ἡ ΣΦΥΓΜΟΣ ἐνείη ἐν τῷ ὑποχονδρίῳ,

* Aph. 21. Lib. 7.
† Vid. Galen. Com. in Aph.
‡ Vid. Bellin. de pulſibus pag. 82.
** Vid. Hipp. Prænot.

φόβυβον σημαίνει, ἢ παραφροσύνλω. Hic ſigna enumerat accuratus ille ſenex, quæ in præcordio ſint notatu digniſſima. * *Si inflammatum ſit, Si dolorem exhibeat, aut contendatur, — ab his omnibus cavendum.— Quod ſi præterea* pulſatio inflammatoria *inſit in præcordio, perturbationem indicat aut delirium.* An vero *pulſus naturalis* hic poſſit intelligi? Hoc enim poſito, quam abſurde diceretur,

Quod ſi Pulsus *inſit in præcordio*

quaſi pulſus vero aliquid deſultorium eſſet, & velut ignis fatuus nunc compareret, mox autem ſubito extingueretur. Aut qui fieri poteſt, ut *Pulſus* ſolus, nulla ejus affectionis cujuſcunque habita ratione, delirium, aut quidquam ſane indicaret?

Quid igitur? An ſedulus ille obſervator, qui non modo *Sudores, Urinas, Alvi dejectiones* quotidie fideliter recenſuit; ſed etiam in his libris, ipſos † *ægroti vultus, Stragularum vellicationes*, omneſque *ſpirandi & decumbendi modos*, & ‡ minutiſſima quæque inter copias prognoſticas conſcribit; an ille inquam ſignum his omnibus, ſi non utilius, æque ſaltem æſtimandum, ſi ſciret uti,

* Vid. Heurn. in Prænot.

† Hipp. Prænot. §. 7. & 4.

‡ Hippocrates Epid. 3. Æger. 15. *Manibus palpabat, evellebat, ſcalpebat, floccos legebat, lachrymas fundebat*, &c.

ne ſemel quidem memoraret? * *Hoc ſane argumentum tanti eſt, credo, momenti, ut ſufficeret ad illorum dicteria confundenda ac confutanda, qui Hippocratem pulſuum doctrinam* ſolide docuiſſe *perhibent.* Ne ſua tamen ſomnia non defenderet, ne cauſam quam in ſe recepit Vir Cl. prodere videatur; præclarum quidem, pro ſolita ſua facundia, ſic patrocinium exorditur.

1. † *Hippocrates* SÆPE *& neceſſaria omittit.*

2. ‡ *Hippocrates* SÆPIUS *alieno loco refert, quæ in proprio reticentur.*

O fortunatum hoc defenſore Hippocratem, qui ipſum graviſſimæ incuriæ falſo inſimulat, quem decuit defendere: omnemque in dicendo accurationem, in diſponendo ordinem, ſcriptis ejus prudentiſſime eliminavit. Ex iis quæ præmittuntur abunde conſtat, quam vana ſit hujus doctrinæ, inter ſcripta Hippocratis genuina, inveſtigatio; an in ſuſpectis fugitivam felicius aſſequamur proxime videamus: quod ſi neque exinde etiam ſit retrahenda; ** *Galeni in hoc* ERRORE

* Trill. pag. 59.
† Trill. p. 48.
‡ Trill. ibidem.
** Trill. pag. 53.

ſecta-

ſectatores, a Viro Cl. tot per paginas agitati, in portu tandem navigabunt.

Postulatum Secundum.

Nemo aliquam doctrinam ſolide docuiſſe *judicandus eſt, qui minus accurate de illa ſcripſerit, ac ſcripſerunt alii, qui & ipſi hanc* ſolide docuiſſe *nullo jure ſunt prædicandi.*

Aretæum, Galenum reliquoſque medicorum principes, pulſuum ſcientiam excoluiſſe, & ipſorum monumenta & eruditorum ſuffragia abunde conteſtantur. Eandem quoque Hippocratem & exploratam habuiſſe, & *ſolide docuiſſe* Vir Cl. contendit. Illi vero hac ſcientia recte utentes, nuſquam vel ſigna morborum enumerant, quin pulſus quoque accuratiſſime deſcribant; nuſquam curandi methodum inſtituunt, quin pulſum comitem fidiſſimum adjungant. Hippocrates autem, qui reliqua omnia illis accuratius perfectiuſque tradidit, neſcio quo fato hanc unicam doctrinam timide, obſcure, & rariſſime propoſuit. In ſcriptis genuinis altiſſimum ſilentium: in ſuſpectis, ambigua ſparſim incidit mentio: & ſi uno itemque altero exemplo rem ipſam forte nominaverit; ejus tamen uſum

uſum etiam in his vix ſubindicavit; ejus cauſam tam abſurde expoſuit; ut ſolida ex illis pulſuum ſcientia, non magis quam ſanguinis circuitus extorquenda videatur. Quænam igitur aſſignari poteſt ratio, ſi modo hanc doctrinam Hippocrates habuit exploratam, cur non uberius expoſuit, & ut alia minoris momenti ſatis fuſe tradidit, ita hanc etiam pro rei dignitate non exornavit? Prima itaque ſatis conſtat hujus poſtulati pars, ſc. minus accurate de hac doctrina ſcripſiſſe Hippocratem, quam Galenus aliique, qui tamen & ipſi hanc ſolide docuiſſe non dicendi ſunt; ut proximo conſtabit poſtulato.

Postulatum Tertium.

Nemo rem aliquam aut doctrinam ſolide docuiſſe *cenſendus eſt, qui veram illius cauſam, & uſum generalem non modo penitus ignoravit; ſed multa eidem quam maxime repugnantia ſuis ſcriptis de induſtria pronuntiavit.*

In omni quæſtione ſolide exponenda, duo potiſſimum requiruntur, Primo, ut cauſam ejus de quo quæritur, quantum fieri poſſit, perſpectam habeamus; Secundo, ut uſus etiam generalis innoteſcat.

ſcat. Verum cum ſanguinis circuitus, à quo tota pendeat pulſuum doctrina, ante Harvæum noſtrum penitus lateret, licet Aretæus & Galenus, pulſus uſum aliqualem experiendo aſſequuti eſſent, cum cauſam tamen modumque, & uſum generalem turpiſſime ignorarent; fieri nullo modo potuit, ut de hac quæſtione dilucide diſputarent. Accuratiſſimum horum omnium, ſcriptorem Galenum, qui cætera præclare & luculenter tractavit, in cauſa hac balbutientem audiamus. * *Quum igitur talis quoque ſit & in pulſibus ſubſiſtentia, Cauſæ effectivæ tres oſtenſæ ſunt; Facultas quæ movet arterias. Corpus ipſum vaſis, &* uſus *propter quem movetur. Oſtenſum eſt autem* – uſum *ipſum pulſuum, innatæ caliditatis eſſe cuſtodiam. Quum enim duæ ſint pulſus partes Diaſtole, & Syſtole; Diaſtolen quidem* refrigerandi *gratia, ut plurimum, fieri oſtendimus, raro tamen quandoque ventilandi, &* accendendi. *Syſtolen vero effundendi gratia ea excrementa, quæ* veluti fuliginoſa *ſunt &* fumoſa. Conſtare igitur hoc ex poſtulato videtur, nec Aretæum nec ipſum Galenum, multo minus Hippocratem, hanc doctrinam *ſolide docuiſſe.* Cu-

* Galen. Synopſ. de pulſibus Cap. 9.

jus

jus quidem doctrinæ historiam, cum in ambiguo & obscuro res hæc sit, brevissime si placeat exequamur, & quasi in transitu recolamus.

Hippocrates naturæ sedulus spectator, arteriæ temporalis pulsum, cum oculis sæpissime subjiciatur, primus omnium observavit, & eidem nomen * σφυγμὸς indidit; sed cum motum illum perpetuum videret, nec subtiles ejus variandi minutias, † causamque, vel ratione hausérat, vel usu investigaverat; illius in scriptis maxime genuinis ne semel quidem meminit. Postea vero quem ipse motum, in unica tantum arteria adnotasset, cum successores ejus contrectando & experiendo paulo accuratius exploràssent; rariusculæ quædam de pulsibus observationes & conjecturæ circumferri primum cæperunt: Illorum itaque in commentariis & ipsum nomen interdum apparet, & pauculæ de usu divinationes, parca quidem manu, obscure spargúntur. Longo autem deinceps intervallo, (cum annorum multorum industria, & usus diuturnus accessisset) Herophili præsertim, qui primus *pulsuum* doctrinam tradidisse perhibetur, deinde, Aretæi, Galeni, Tral-

* Gal. de puls. diff. Cap. 1.

† Vide Hipp. de Loc. in Homine. ubi ineptissima & perabsurda pulsus perpetui explicatio.

liani,

liani, & *Medicorum principum ſub auſpiciis, diu quæ elanguerat medicina, quaſi rediviva caput extulit: quorum ingenio & diligentia, ut alia rem medicam ſpectantia pulcherrima prodierunt, ita hæc doctrina, ultimum, quod experientia ſola potuit, recepit incrementum. Nam licet cauſa rei, & uſus generalis, ſagaciſſimos etiamnum lateret; apud eos tamen pulſuum obſervationes accuratiſſimas perpetuo deprehendimus; ut morbos vel indicent, vel diſtinguant; quam medendi viam deſignent; ut facem denique in omnibus medico accendant, ex iiſdem fontibus jugiter haurimus. Verum enimvero cum ſanguinis circuitu ignoto, cum latente cauſa, præclara illa rei medicæ acceſſio, manca quodammodo etiamnum ſupereſſet; quod illa abſoluta & perfecta ſeris nepotibus deferatur, laus illa quantacunque *Harvæo* ſoli reſervatur. Hæc illa † *fallax & incerta res eſt*, quæ, ab Hippocrate ‡ obſervata, a ſucceſſoribus aucta, a principibus medicorum exculta, ab Harvæo demum ad umbilicum perducta, omnes omnium medicorum nervos & ingenia bis mille annos exercuit.

Et Virum Cl. quid tandem reponere arbitrare?

* Vid. Zacut. Luſitan. de Med. Princip. Hiſt. † Trill. p. 50.
‡ Vid. Valeſ. Controverſ. Lib. 3. *Fecit ergo Hippocrates hujus partis fundamenta, elaboravit illam quam plurimum Galenus* ---.

TRILL. P. 51.

Quid igitur mirum, ſi Hippocrates probe FORTE *perſpiciens haſce circa pulſus vanitates, pulſuum doctrinam non adeo verboſe propoſuit.* —

TRILL. Pag. 50.

Pulſus fallax eſt & incertus.

TRILL. Pag. 72.

Ex Phyſiologicis, immo ut rectius dicam, ex ſemioticis, Hippocrati doctrinam de pulſibus ἀγαθῇ *opinor* τύχῃ, *jam reſtitui.*

Quam belle quidem hæc conveniunt! Mirum ni oppido ad extremum Viri Cl. copiæ redigantur, qui perfugium iſtiuſmodi occuparit, in quo ſuis ipſius telis neceſſe eſt opprimatur. An V. Cl. benignitatem prædicabo, qui munere hoc erubeſcendo Hippocratem beavit; an acumen potius, qui Hippocrati doctrinam, ἀγαθῇ τύχῃ *reſtituit*, quam ipſe vanam futilemque *probe perſpiciens* ſummo cum judicio repudiavit. Sed ut quod verum eſt dicam; nec doctrinam hanc repudiavit Hippocrates, imo nec intellexit. Unicum ex Hippocrate teſtimonium exſcribere non pigebit; ex quo prædictis

dictis fides conſtet, & quid de *pulſu* divinus ille ſenex ſomniaverit, clariſſime videamus. * *Aliæ vero duæ venæ juxta tempora feruntur, in medio temporum & aurium,* (ſc. arteriæ temporales) *quæ premunt oculos, & ſemper pulſant.* SOLÆ *enim hæ ex venis ſanguine non rigantur, ſed avertitur ex ipſis ſanguis.* O ſingularem Hippocratis † *in pulſibus examinandis* ἀκρίβειαν, qui communem omnium arteriarum motum, in *unica* tantum agnoverit! porro autem *pulſus* cauſam elegantiſſimam ſpectate. *Qui autem avertitur influenti occurrit, & qui quidem avertitur volens diſcedere, qui vero ſuperne influit volens infra procedere,* HIC *impelluntur ac diffunduntur, ac mutuo circumagitantur,* & PULSUM VENIS *exhibent.* Satis igitur Vir Orn. uti ſpero conſtat, qualem pulſuum ſcientiam adeptus fuerit Hippocrates, & hanc provinciam quam egregie exornarit. Verum enimvero licet ex teſtimoniis, quæ Vir Cl. conraſit, pars magna rem ipſam non attingant, reliqua aut ambigua ſint, aut aliam rem agant, omnia denique ex ſpuriis vel ſaltem ſuſpectis libris allegentur; tamen ut Viri Cl. auctoritati ſatis detuliſſe videamur, etiam illa proxime diſcu-

* Editio & verſio Lindani Vol. 1. p. 365.
† Trill. pag. 67.

tiamus. Verum ut intra limites anguſtiores jejuna hæc diſquiſitio compellatur, liceat quarto hoc uti poſtulato.

Postulatum Quartum.

Vbicunque in aliquo ſcriptore pulſus ſolius facta fuerit mentio, nulla ejus proprietate memorata; nulla pulſuum doctrina exinde videtur hauriенda: multo minus erit ille locus argumento, hunc ſcriptorem pulſuum doctrinam SOLIDE DOCUISSE.

E. G. Siquis in febre ardenti poſt alia notatu digna etiam *pulſum ægroto affuiſſe* ſubjungeret; profecto nihil magis nos Vir bonus edocuerit, quam ſi binas aures febricitantem habuiſſe magna cum ſolertia memoraſſet.

Trill. Pag. 61.

Loca Hippocratis de pulſibus.

Princeps fere, & qui cæteris ALIMENTUM *ſubminiſtrat, extat in libro de alimento, genuino*, — Φλεβῶν ἀφαφύξιες καὶ ἀναπνοὴ πνεύματος κατ' ἡλικίαν ἢ ξύμφωνα ἢ διάφωνα, ἢ νόσου ἢ ὑγείης σημῆια· ἢ ὑγείης μᾶλλον ἢ νόσου, ἢ νόσου μᾶλλον ἢ ὑγείης· τροφὴ γὰρ

γὰρ ἡ πνεῦμα. Ita extat hic locus in decantata Foesii editione, *quo loco* ut inquit Vir Cl., * *certe nihil est luculentius*. Imo vero ita me Dii ament nihil vidi obscurius. Tum autem sententia ex libro suspecto † allegatur; verum sit liber ipse genuinus, sit sententia luce meridiana clarior, cum tamen pulsum solum nominaverit, nulla pulsuum doctrina (per postulatum quartum) est exinde elicienda.

TRILL. Pag. 63.

Libro prædictorum secundo, suadet Hippocrates (cur enim non credamus Hippocratem eum scripsisse librum, quum Celsum, Opsopæum, Foesium, immo ipsum EX PARTE *Galenum habeamus* ὁμολήφους) *ut Medicus ægroti tangat corpus, sed & venas seu arterias:* Επειτα, inquit, τῆσι χερσὶ ψαύσαντα τῆς γαστρός τι ἡ τῶν φλεβῶν, ἦν σόν ἐστιν ἐξαπατᾶσθαι, ἢ μὴ ψαύσαντα. Nihil hoc testimonio Vir Cl. promoverit: Nam primo librum hunc merito suspectum, *ipse* ὁμόλήφος testatur Galenus. ‡ *Solœcismi in hoc libro non rari, quare etiam hanc ob rem, quidam hunc Hippocratis*

* Trill. pag. 62.

† Vid. Zuing. p. 309. *Sunt qui Thessali, alii Herophili esse credant.* Vid. Foes. in Lib. de Aliment. — *Veteres, ac primi librorum Hippocratis censores hujus libelli authorem Thessalum aut Herophilum, quidam etiam Philistionem & Pherecyden a Galeno faciunt.*

‡ Vid. Galen. in Prædict. lib. 1. Charter. Vol. 5. p. 699.

non

non esse, JURE *suspicati sunt* &c. Secundo ipsam sententiam dispiciamus, egregie quidem dictum, *Minus errabit siquis oculis apertis, quam si clausis iter fecerit.* Quo vero de morbo hoc dictum arbitrare? *Si nimis aliquis deambulaverit, aut nimium ventriculo ingurgitaverit.* Quid hoc ad morbos dignoscendos vel curandos, quid ad pulsuum scientiam *solide docendam*?

TRILL. Pag. 63.

Hic Vir Cl. locum Hippocratis maxime luxatum, *ubi de oculi affectionibus agitur* conjectura justa & eleganti obiter emendavit.

TRILL. Pag. 64.

Libro de humoribus vere Hippocratico, asseverante Erotiano atque Galeno, — inter signa recensentur etiam σφυγμοὶ *pulsus.* Imo neque liber ille est Hippocraticus, neque hoc sed contrarium statuit Galenus, (* *Zeuxis & Heraclides, qui in omnia Hippocratis opera commentarios conscripserunt, ipsum esse a veris Hippocratis libris omnino rejiciendum existimant.*) Neque pulsum ibi σφυγμὸς, magis quam pulsationem inflammatoriam indicat:

* Vid. Galen. in Lib. de Humor. Com. 1.

Verum

Verum enimvero ſi Liber ſit genuinus, ſi id *aſſeveret* Galenus, ſi σφυγμὸς ibi *pulſum* indicet, cum tamen abſolute ponatur, nulla pulſuum doctrina (per poſtulatum quartum) eſt exinde haurienda.

TRILL. Pag. 65.

Libro de morbis mulierum, Σφυγμοὶ βληχροὶ, ἔτι δ' ὅτι ϗ ὄξεες· ἄλλοτε ἀειρόμενοι, ἄλλοτε ἐλλείποντες. Si fæminæ a partu menſes non profluxerint, **Venter intumeſcit, febris & rigor corripit, doloreſque ad lumbos*; quæratur autem porro cujuſmodi futurus ſit pulſus. Cui tam pingue eſt ingenium, quin hoc ex loco pleniſſime ſit erudiendus? *Nunc debiles, nunc fortes; nunc ſublati, nunc languidi:* Næ in mentem mihi venit faceta illa Syri monſtratio; qua Demeam ſurſum & deorſum, a dextra ad lævam, per impervios angiportus, hac illac curſitando, nequicquam tandem probe delaſſatum dedit.

Proximum ex eodem libro ejuſdem prorſus notæ eſt teſtimonium.

TRILL. Pag. 65.

Libro de morbis tertio – dicitur, quod in cerebri tumore Φλέβες τέταν) ϗ σφύξεσι: *Sic & in Libro de Medici officina Hip-*

* Hipp. de morb. mulierum.

pocrates

pocrates medico jubet ut capiti — fulcimenta ſubſternat & ſtabilimenta τῶν σφυγμῶν ἕνεκεν, ἀς μὴ σείεσθαι. Ain vero, *ne pulſarent arteriæ?* Optime quidem de ægroto, medicus ille mereretur, *pulſum arteriæ* fulcimentis qui vellet ſiſtere; optime etiam a medicina, qui fieri id poſſe auguraretur. Utrobique *pulſatio inflammatoria* neceſſe eſt intelligatur.

Neque Fragmentum vero quod ex Erotiano Vir Cl. ſuſpectum allegavit, neque illa Democriti Φλεβοπαλία, ulla *pulſuum doctrinæ* veſtigia repræſentant, nec quidquam ſane probant, niſi motum arteriæ (quod nemo uſpiam negavit) illi ſæculo innotuiſſe. Nam quale hoc eſt argumentum? dicit Erotianus, Δημόκριτος δὲ Φλεβοπαλίαν καλεῖ τὴν τῶν ἀρτηριῶν κίνησιν, unde Vir Cl. * *Probat ceterum & hic locus* PULSUUM DOCTRINAM *ſatis eſſe antiquam, & circa Hippocratis tempora jam tum notiſſimam.* Imo ante orbem conditum notiſſimam fuiſſe æque probat. Mirum vero ni ſuſpecta ſit cauſa, cum ad libros ſpurios, fragmenta dubia, & hujuſmodi argumenta, res redierit. Pergamus vero.

* Trill. pag. 67.

TRILL.

TRILL. Pag. 67.
Cl. Clericus refellitur.

Id autem hoc loco miror & magnopere miror, qui Cl. Clericus *tam confidenter ſcribere potuerit, in Epidemiorum libris nihil fere reperiri, quod de pulſu agat quam duo illa loca a ſe citata.* — *Nam & in iſtis duobus, & in cæteris Epid. libris loca inveniuntur, ubi* PULSUS *facta fuit mentio, a Cl. tamen Viro neglecta.* Et quid mirum tandem ſi Vir ſubacti judicii, in nullo pæne litterarum genere hoſpes, illa loca neglexit, quæ ab ejus inſtituto agnovit alieniſſima? Supervacanea Viri maximi aliqua videtur defenſio, ſed cum in hoc quæſtionis noſtræ cardo vertatur, ipſa exempla breviſſime inquiramus.

TRILL. Pag. 68.

Lib. Epid. 2. Ην αἱ φλέβες σφύζωσιν ἐν τῇσι χερσὶ — χρονίη ἡ νοῦσος γίνεται. An hoc de *pulſu* Vir bonus intellexit? Miſera profecto & laborioſa eſſet hominum conditio, ſi quotieſcunque *pulſarent arteriæ, morbus diuturnus indicaretur.* Non eſt igitur quod *miretur & magnopere miretur* Vir Cl., hunc locum magnum Clericum omiſiſſe, cum nihil ad rem ſpectet, cum non

de *Pulſu*, ſed de *Pulſatione inflammatoria* agatur; de qua ſi locus ille intelligatur, placitis Hippocraticis optime conveniet, ut in Libro de Judicationibus ulterius confirmatur. [a] Οἱ παλμοὶ ἐν τῇσι χερσὶ πολυχρονίῃ πυρετοῦ σημεῖον. *Pulſationes inflammatoriæ in manibus, diuturnæ febris ſignum.* Et ibidem: Ἐὰν αἱ φλέβες σφύζωσι — χρονίη ἡ νοῦσος. Sed omnia percurrere infinitum eſſet.

Lib. Epid. 4. [b] Φλεβῶν σφυγμοὶ παρ' ὀμφαλον. Quid mirum ſi de *pulſu* naturali accipiatur: ſed & hic quoque σφυγμὸς *pulſatio inflammatoria* neceſſe eſt reddatur; proxima verba ſunt, ἐν τοῖσιν ὀξυτάτοισι τῶν πυρετῶν, οἱ σφυγμοὶ πυκνότατοι καὶ μέγιστοι, adeo ut locus integer ſic ſe habeat. *Septima mane jactatio, clamor multus, pulſationes inflammatoriæ circa umbilicum: quæ in febribus acutiſſimis ſunt frequentiſſimæ maximæque.* [c] Cl. quidem Clericus & [d] Floyerus de pulſu interpretati ſunt; verum ſi de pulſu accipiatur, nihil a veritate magis abhorrere poſſit. Quoties enim in *febre vel acutiſſima*, pulſus maxime concitati, exiles tamen languidique deprehenduntur?

[e] *Libro eodem* οἱ σφυγμοὶ *expreſſe inter*

a Vid. Proſp. Martian.
b Trill. pag. 68.
c Vid. Le Clerc Hiſtoire de la Medicine p. 152.
d Vid. Floyeri tentamen de pulſ. p. 2.
e Trill. pag. 68.

ſigna

ſigna prognoſtica referuntur – hic ſane locus præ reliquis notari meruiſſet. Quidni igitur adſcriptus ſit? Senſit nimirum Vir ſagaciſſimus quam parum ſecum faceret, & quantum ſub luce videri formidaret. [a] *Statim febricitavit. Palpitationes, Tremores, Convulſiones, Singultus.* Reliqua omnia ejuſdem prorſus notæ ſunt exempla.

Σφυγμὸς ὁ μήτηρ.
Σφυγμὸς ὁ κροτάφοις.
Σφυγμὸς ὃν ἔλιπεν.
Κατὰ κροτάφους σφυγμός.
Σφυγμὸς ἄδηλος ὁ μετώπῳ.

omnia enim hæc *pulſationem inflammatoriam* denotant. Vox illa in *Coacis* optime a Dureto explicatur: vocat enim σφυγμὸν, [b] *Inſuetam micandi rationem, aſpectabilem medico, explicatis multum arteriis, quæque eſt* [c] *magnæ inflammationis ſignum inſeparabile.* [d] Cum omnia igitur Viri Cl. in hac cauſa argumenta, allegationes, & teſtimonia, candidum ad examen revocata, leviora deprehendantur, cum exempla ex

a Hipp. Epid. Lib. 4. Εὐθὺς ἐπυρέτηνε, σφυγμοὶ, τρόμοι, σπασμοὶ, λύγγες -- --

b Vid. Duret in Coac. prænot. Lib. 1. p. 70.

c Idem Lib. 2.

d Σφυγμὸς] *Le pouls. Ce mot a eſté pris par les anciens pour ſignifier les élancements douloureux qu' endurent les parties enflammées; & auſi pour les palpitations, & puis proprement pour le mouvement des arteres.* Vid. p. 166. Thevenin. Dict. Etymol. de Mot. Grecs ſervans a la medicine.

Vid. Bellini p. 422. ubi *doloris pulſatorii frontis ac temporum* cauſa redditur.

libris ſpuriis plerumque citentur, plerumque aliam rem agant; nunquam ipſam plene aſſequantur; nihil amplius in hac cauſa deliberandum cenſeo: Nam ſi rei ipſius ratio, & indoles, ſi interpretum * antiquorum auctoritas, ſi opponentium parum firma defenſio, aliquid gravitatis cauſæ noſtræ conferre videantur, jam, uti ſpero, vicimus. Verum in hiſce teſtimoniis cum de præcordii & venarum contrectatione inciderit mentio, ut medicorum antiquiſſimorum in morbis præjudicandis rationem plenius intelligamus, Stephanum Athenienſem audiamus. *Hippocratis tempore ſpeculatio, quæ circa pulſus verſatur, nondum exquiſite excolebatur*; *nec* ab ipſis pulſibus *febrium ſignificationes faciebant: ſed manum imponentes ſuper alias corporis partes, maximeque ſuper thoracem, dignotiones facere ſtudebant.*

* *Hippocrates enim & Eugenius & Philiſtonicus ſolum fervorem, naturalem, moderationem excedentem, ſignum febrium poſuerunt.* Gariop. de febribus.

In rerum certe ſingularum obſervatione non panca Hipp. fugiſſe: Pulſuum *exilem, Anatomiæ parum exactam cognitionem habuiſſe, tum ſcripta ejus loquuntur, tum ipſe quoque fatetur,* &c. Zuinger Præfat. ad Hipp.

De pulſu vero arteriarum ſine dolore, qui & morborum genera nobis indicat, & virium robur, nihil referri ab Hippocrate, Galenus ſæpenumero demonſtravit. Vidi Vidii Comm. in Hipp. de Ulcer.

† Steph. Athenienſ. in Gal. Therapeut.

TRILL. Pag. 72.

Sicuti vero – Hippocrati doctrinam de pulsibus – jam restitui: Ita nunc ex Therapeuticis artem sudores provocandi *eidem restituere adnitar. Video enim (sed nollem illud vidisse) eam a* TE *ipsi abjudicari.–Quam vellem tecum V. E. in eandem ire sententiam! – Verum quum sedula Hippocratis lectio & ex hac mihi enata veritas, me contrarium doceat, patieris, spero, pro tuo in eam amore, ut hac quidem in parte a* TE *discedam, atque sic Cl. Clerici vestigiis insistam, quippe qui* verissime *scribit Hippocratem* certis in casibus (IPSIUS *sunt verba*) *non in* febribus Diariis *solum, sudores provocasse per sic dicta sudorifera* &c.

Cum in tuis Vir Orn. commentariis ea instituti videatur ratio, ut siquid febrium curationem quod spectat ab aliis minus accurate tractatum sit, id a Te perfectius exornaretur; multa quidem *de sanguinis missione*, reconditisque *derivandi* ac *revellendi* modis egregie & subtiliter disputata sunt; & pleniſſime porro traditur, quid * *adversum has febres auxilii* afferre possit in Sudoribus eliciendis aurea quædam

* Freind. in Hipp. Epid. com. 3.

medio-

mediocritas. Quo quidem in commentario, cum *De Sudoribus* ageretur, quaſi ex ipſa materia effluxiſſe videtur hæc ſolertiſſima obſervatio. * *Sudor perpetuo apud Hippocratem, quantum ego percipio, non ut curandi inſtrumentum, ſed tantum ut præſagii nota proponitur. Igitur ille in libris, qui* GERMANI *habentur, remedii, quod ſudores provocet, nuſquam meminit.* Et paulo inferius, *Adeo parum in uſu apud veteres fuit* INTRO SUMPTA *ad ſudores eliciendos* MEDICINA, *ut de ea verbum aliquod ne quidem apud Latinum Hippocratem reperias.* Hic Vir Cl. pacis nimirum concordiæque ſtudio, novas conflavit lites; & veritatis deſiderio ipſam acerrime impugnavit. Longo quinetiam & ſupervacaneo apparatu *probat* † *Hippocratem ſudores provocaſſe.* Eſto ſane: quid ad tuos commentarios? quid ad rem? Nulla mihi ſane videtur ratio cur ſuam vicem tam triſti nænia Vir Cl. deploraret, quod *in eandem Tecum*, Vir Orn., non poſſit *ire ſententiam:* Nullæ enim vobiſcum inimicitiæ. Si contra tuos commentarios tantopere vellet, ut videtur, diſputaſſe, tota aberravit via: Nam certe hujuſmodi quædam inſtituenda eſſet quæſtio.

* Freind. ibidem.
† Trill. pag. 74.

An

An IN FEBRIBUS CONTINUIS, PER INTERNA REMEDIA, IN LIBRIS GENUINIS, *ſudorem Hippocrates uſpiam provocaverit?* Quicquid igitur * *de exercitationibus in palæſtra, de balneo, de unctione, & ſtragularum in corpus ægrotum congeſtione* & egregiis hujuſmodi ſudorificis, fruſtra Vir Cl. congeſſerit, ſatius eſt ſilentio præterire, quam lectorem probe jam delaſſatum tædio inutili conficere. Ubicunque vero remedia *interna*, licet ad ſudores promovendos potius quam excitandos præſcripta videantur, adhibuit Hippocrates, illa breviſſime inquiramus omnia. † *Id autem hoc loco miror & magnopere miror, qui* VIR CL. *tam confidenter ſcribere potuerit,* ‡ *Cl. Clericum veriſſime ſcripſiſſe Hippocratem certis in caſibus, non in febribus diariis ſolum, ſudores provocaſſe per ſic dicta ſudorifera, licet ea non indicarit, niſi uno in loco, qui eſt* 2 *Epid. &c. & hæc eſſe ipſius Clerici verba*; Nihil hujuſmodi in toto hoc Clerici capite deprehendo, ſed quam maxime contraria, luce manifeſtiora. ** *Il n'y a qu' un ſeul paſſage que je ſâche, ou il parle de provoquer la ſueur*, (viz. Lib. Epid. 2.) Et hujus capitis ſub finem hæc habentur. *On*

* Trill. pag. 75. † Trill. pag. 67.
‡ Trill. pag. 73.
** Le Clerc. Hiſt. de Medicin. Part. 1. Liv. 3. Chap. 20.

voit

voit par là qu' Hippocrate n' approvoit pas que l' on fit ſueur ceux qui avoient d' autres fiévres, que celle qu' il déſigne. Cenſet igitur Cl. Clericus *non niſi in febribus diariis, ſudores ciendos approbaſſe Hippocratem.* Dubium igitur an majorem viro maximo vim Trillerus intulerit, cum ipſum (p. 67.) injurioſe redarguerit, an nunc cum obtorto quaſi collo inter ſuas copias coegerit. Sed ipſa quæ Vir Cl. protulit exempla breviſſime inſpiciamus.

TRILL. Pag. 77. & 78.

Adgredior nunc ad ea remedia, quæ interne adhibuit Hippocrates, PRO SCOPO SUDOREM PROVOCANDI. *Sterilior, fateor, hic & campus & meſſis eſt. – Egregius ſane locus eſt in Epidem. Libro 2, ubi Hippocrates veſtimentis bene contecto imo gravato ſuadet farinam plurimam & calidiſſimam edere, vinumque meracum inſuper bibere –.*

Quid *egregius* hic locus agat videamus.

1. Morbus eſt febricula a laſſitudine oborta; quid hoc ad febres continuas & acutas?

2. Ecquis in re medica ullo modo verſatus, inter remedia ſudorifera *farinam plurimam & calidiſſimam* referre non indignaretur?

dignaretur? Sed esto, quando ita Vir Cl. voluit, sit sudorificum. Cum tamen * *pro scopo sudorem* PROVOCANDI ab Hippocrate non adhibeatur, nil sane probat *egregium* hoc testimonium. Ipsum igitur Hippocratem adeamus. † *Postquam autem pedes sudarint, farinam plurimam & calidissimam edens quiescat.* Quid? an *farinam calidam* adhibuit Hippocrates ut sudorem provocaret, qui jam per totum corpus ‡, a capite ad calcem manaverit? Verum sit morbus febris acutissima, sit *farina calida* optimum sudores ciendi instrumentum, esto etiam ita in *Epid.* libro secundo adhibeatur, tamen cum liber ille extra controversiam spurius sit, (ut satis superque p. 31. probasse videor) quid hoc ad tuos Vir Orn. commentarios, qui id solum, idque verissime, asserunt, Hippocratem ** *in libris, qui* GERMANI *habentur, remedii, quod sudores provocet, nusquam meminisse.*

TRILL. P. 79.

Πίσαι τὸ τεῖφυλλον, ᾧ ὁποῖ σιλφίῳ ὁ οἶνῳ ἰσοκρατέει. (Hipp. de Morb.) *Cogitavi hic præscriptum esse ab Hippocrate sudori-*

* Trill. pag. 78.
† Hipp. Epid. 2. ultimo paragr.
‡ Vid. Clerc. Hist. Medic. p. 199. part. 1.
** Vid. Freind. Com. 31. in Hipp. Epid.

 ferum:

ferum: — Sed hæc cogitavi tantum neque ego conjecturam pro veritate ἀναπλέκτῳ *vendito.*

TRILL. Pag. 80.

In libro de Locis in homine, invenio ſudoriferum, quod & ſimul eſt diureticum, — quod FEBRIENTI *propinat Hippocrates.* Καὶ πίων ὕδωρ θερμὸν, ϗ μελίκρατον, ϗ ὄξος σον ὕδατι &c.

Hæc ſunt omnia quæ Vir Cl. unde unde congeſſit ſudorifica, quorum mirum eſt ni maxima ſit apud Hippocratem penuria; cum de priore ipſe Vir Cl. dubitat, poſterius autem nihil ſit niſi potus ordinarius; * *In febre cibus minime offerendus — Potus ſit aqua calida, mulſa, & acetum cum aqua.* Morbus porro in exemplo primo eſt febris tertiana, in ſecundo febris diaria, cum laſſitudine & plethora. † Ὁπόταν κόπος ἔχῃ, ϗ πυρετὸς, ϗ πλησμονὴ — quid hoc ad febres continuas & acutas? Adeo ut Tua Vir Orn. juſtiſſima obſervatio *contra* Viri Cl. ‡ *inſultum immota* etiamnum *maneat & inconcuſſa.* Tinnulum vero hunc oratorem in hac cauſa egregie perorantem audiamus, ** *ſed ne de ſudore ſcripſiſſe*

* Hipp. Loc. in Hom. p. 418. Foeſ.
† Hipp ibidem.
‡ Trill. pag. 74. ** Trill. pag. 81.

videar

videar CUM SUDORE, *verbum amplius non addo.*

Quandoquidem vero *de ſudoribus ciendis* inciderit mentio, ne prorſus jejuna hæc diſquiſitio videatur, quid ad morbos excitandos, vel abigendos hujuſmodi remedia conferant, breviſſime inquiramus.

Cum ita comparata ſit humani corporis compages, ut mille receptaculis morborum materies coacervari videamus; miſerum ſane foret & luctuoſum, niſi id quoque a Natura cautum eſſet, ut nullibi fere morborum ſemina deponi poſſent, quin aliquis illic viciniæ pateret exitus, per quem ſe foras proriperet inteſtina calamitas, vel medicamentorum vi eliminaretur. Quos quidem exitus vel laxatos premere, vel adſtrictos recludere, totum fere medici munus complectitur. Ex quibus tamen, alios recludendi copiam ſibi ipſi Natura magis peculiariter vendicat; alios uberiore licentia medico aperiendos permiſit. Huc ſpectat quod ſolertiſſimus notavit Sydenhamus, * *Tam itaque in hoc* (ſc. podagra) *quam in aliis morbis quibuſcunque, quos mihi quidem videre contigit, dempta ſola peſte, ſudores prolicere non tam medici, quam Naturæ provincia eſt.* Aſperius forſitan ali-

* Vid. Sydenham. Tract. de Podag. p. 417.

quantulum a Viro peritiſſimo dictum videatur; quaſi *frigidis* aut temperatis ſemper utendum, nec ulla in affectione *cardiacis* & remediis calidioribus eſſet locus: præſertim cum etiam in febribus lentiſſimis, ubi pulſus tardiores languidique, vires proſtratæ, nervique ſpirituum inopia debiles & relaxati, haud abſurde hujuſmodi curatio ineatur. Quid enim? ut vires dejectæ refocillentur, ſpiritus animales ſanguinis lentore quaſi involutæ expediantur, motu ejuſdem paululum incitato uberius ſecernantur, ſubditoque ſtimulo acriores ſe præbeant vegetoſque, nonne *Cardiacis* potiſſimum & *Veſicantibus* proſpiciendum; an frigidis potius aut temperatis inſiſtendo, dum contraria eveniant opperiemus; & ne æger calidioribus comburatur, abundanti cautela frigore emori patiemur? Pauciſſimi tamen a *Viri maximi* ſeveritate tam præclare Tecum * Vir Orn. deceſſerunt, ut feliciſſima illa, quam Tute primus adeo adhibuiſti, moderatione uterentur; quin, in extremum longe periculoſius delapſi, in febribus quibuſcunque indiſcriminatim, calidiſſima quæque ingerant, & ad ſudores provocandos ſe totos conferant. Nam ſudoribus ultro obortis, poſtquam perfecte concocta materies ſecretioni hujuſmodi

* Vid. Freind. Com. 3. in Hipp. Epidem.

aptaretur,

aptaretur, cum *febres* non raro a Natura ſolvi obſervarent; in ſudoribus præcipitandis illico incumbunt, licet omnia cruda ſint, & non temere movenda; & Naturam tum demum ſe ſecutos narrant ducem. Honeſta quidem eſt oratio, ſed praxis a Natura alieniſſima. Nam cum in illo omnis *ſudorificorum* virtus poſita eſſe videatur, ut *major, rariorque* ſanguinis quantitas, ad glandes miliares *dato tempore* defetur, (i. e. ut ſanguis motu concitatiore circumagatur,) ſatis profecto præpoſtera videtur hæc curandi via. Quippe cum ſanguis ſua ſponte nimis jam conferbuit, eundem remediis calidiſſimis incendere, nonne hoc eſt, quod aiunt, *Oleum camino*? In febribus itaque fere omnibus, præſertim ſi aliqua ſævierit inflammatio, quæ ſanguinem diluunt contemperantque, partemve oneris detrahunt, **ut reliquum a Natura facilius expellatur*, commodius videntur exhibenda; ſudoris autem ſollicitatio aliena prorſus ne dicam temeraria. Præclare itaque & medicorum † antiquiſſimi, & perſpicaciſſimus noſter Sydenhamus, a ſudorificis fere

* Riverius. Vid. Freind. de Purgant. p. 35.

† Quid in hac re Hippocrati placuerit jam ſupra vidimus. Vid. Oribaſ. Med. Collect. Lib. 8. Cap. 17.

Vid. Celſ. Lib. 2. Cap. 17. apud quem, ut & apud reliquos medicorum principes, niſi *per externa* ſudor rariſſime elicitur, idque in febribus fere diariis, aut intermittentibus.

toti

toti abhorruerunt; ſiquid autem rectius in hac cauſa & uberius tradi poſſit, id omne a Te Vir Orn. *unica ſententia* circumſcribi video.* *Etenim quæ mediæ materiæ ſunt, & temperata habentur, magno cum emolumento adhiberi & poſſe, & debere haud inficior.* Sed hæc quidem de *ſudorificis*.

Alia jam in tranſitu cauſa eſt peragenda, & de Diureticis in *Febribus* quoque adhibendis, quid Hippocrati placuerit diſpiciendum. Tu enim Vir Orn. pro ſingulari tuo in ſcriptis & placitis Hippocraticis acumine, in *Commentario* octavo, ita obſervaſti. *Utrum vero in* FEBRIBUS *urinam moventia adhibuerit, plane non conſtat*, juſtiſſima quidem dubitatio. Quid igitur Vir Cl.?

TRILL. Pag. 83. 84.

Negatur Hippocratem Diuretica IN FEBRIBUS *adhibuiſſe. Sed breviter probatur eum ea adhibuiſſe* — IN MORBO REGIO, Namque id ſolum argumenta Viri Cl. probaſſe, ipſa quæ Vir Cl. allegavit teſtimonia abunde demonſtrabunt. † *Præcipue notandus eſt locus ex II de morbis*

* Vid. Freind. Com. p. 38.
† Trill. pag. 85.

§. 35.

§. 35, *ubi* πυρετὸς βλησχρὸς, *poſt ſuadet* διδόναι πίνειν διυρητικὰ, — Quid? An * *ſedula Hippocratis lectio & ex hac* TIBI *enata veritas, Te* V. Cl. *docuit*, ut, disjuncta ſententiarum membra conglutinando, lectores tuos in fraudem illiceres, & quaſi hæc de *febre* dicta eſſent, fidem inhoneſte faceres? Verba Hippocratis hæc ſunt. † Ετερος ἰκτηρος. πυρετὸς λαμβάνει βλησχρὸς, ϗ τὴν κεφαλὴν βάρος ἔχει· καὶ οἱ πυρετοὶ ἐπαύσαντο ἐνίοισιν. *Alius morbus regius. Adeſt febricula, & capitis gravitas: ſunt quibus febriculæ ceſſant.* An hæc, O bone, de *febre*? Cum ingeniis hujuſmodi qui conflictatur, & a dictis gravioribus abſtinuerit, cujus quidem temperantiæ eſt?

TRILL. Pag. 85.

De Cantharidibus.

Ad extremum tuorum Vir Orn. commentariorum, & ultimam noſtri decurſus metam fere jam devenimus; pauxillulum quidem negotii ſupereſt; nam licet a Te diſſidere, & nova excogitare Vir Cl. ſummopere vellet videri; nihil tamen veſtrum concen-

* Trill. pag. 73.

† Vid. Foeſ. de Morb. Lib. 2. p. 472.

tum

tum dividit; nihil, quod non à Te demonſtratum fuit, ſupervacaneis teſtimoniis V. Cl. probavit. In egregio illo Tuo *de Veſicantibus* * Commentario, ut ſumma cum eruditione accuratiſſimam illorum a primis uſque ſæculis in noſtra tempora *hiſtoriam* deduxiſti, ita maxima cum ſolertia de illorum *uſu*, ubi adhibenda ſint & ubi repudianda, præcepta juſtiſſima tradidiſti; cujus quidem ſub initio hæc incidit obſervatio. † *Cantharidas quidem, ut medicinam introſumendam, ſæpe commendat Hippocrates; ad* VESICAS EXCITANDAS *nunquam adhibuit: quanquam aliquid de earum virtute, vel Hippocrates, vel alius quiſpiam, etiam cum* CUTI *admoverentur*; odoratus *eſſe videatur*; *qui enim libellum De* Superfætatione *ſcripſit, illas inter alia irritandi inſtrumenta, ad purgandum uterum,* PESSO *immiſceri præcipit.* Quid hac conjectura juſtius, aut veritati magis conſentaneum? Conſtat medicorum antiquiores, cantharidas *peſſariis* immiſcuiſſe: aliquid igitur de illarum virtute etiam cum *cuti* admoverentur, ſaltem *odorati eſſe* videantur. Quorum quidem ſagacitati, cum nullo ex libro, vel Hippocratis, vel Hippocrati adſcripto, Cantharidas

* Vid. Freind. Com. 9. in Hipp. Epid.
† Friend. ibidem.

cuti

cuti admotas deprehendimus, (nisi siquis *vaginam* cutim dixerit) satis a Te Vir Orn. concessum arbitror. At Vir Cl., qui, si quid forte Hippocratem latuisse concederet, parum ejus dignitati se prospexisse putaret, * *ex variis Hippocratis locis, Hippocratem* usum *cantharidum* σπαστικὸν EXTERNUM *calluisse*, satis pro imperio declaravit. *Sed producamus jam illa loca.*

TRILL. Pag. 86.

Libro de Nat. Mul. §. 24. Πρόσθετα, δεμέα αἷμα ἄγοντα· κανθάεισας πέντε ξυμμίξας τῷ λιβανωτῷ.

Libro de Morb. Mul. I. §. 128. Διεχόλιον· ἑλλέβορον μέλανα, ϗ κανθάεισας &c. τείψας ἐν ὕδατι ϗ ποιήσας βάλανον. post ὅταν δὲ αἷμα φανῇται ἀφελέσθω.

Sic & Lib. de M. M. 2. §. 59. Πρόσθετον· κανθάεισας τεύσσα τοιοῦτόν ὀλίγον χρόνον ϗ μὴ πλέον ἐνεργεῖ.

Hæc omnia sunt quæ Vir Cl. allegavit testimonia, & omnia quidem dicta sunt de *pessariis* & *balanis*; quid igitur probant, nisi quod Tu Vir Orn. notasti, sc. vel Hippocratem, vel quisquis horum librorum au-

* Trill. pag. 86.

ctor extiterit, (nam de his omnibus dubitatur) *Cantharidas pessariis* in uterinis affectibus *immiscuisse*? Quid hoc ad *vesicantia*, aut cantharidas *cuti* externæ adplicatas? * *Miratur etiam Vir Cl. quod* UNICUM *tantum* in hac causa *locum allegaveris*. Quasi vero mille exemplis opus esset, cum unico res satis obfirmaretur. Miratur etiam *Quod ex libello de Superfœtatione* incerto *allegatus sit, cum loca clariora sæpe in genuinis Hippocratis scriptis occurrant*. Vellem quidem a Viro Clariss. allegata: nam quæ ipse adhuc protulit, ex libris æque, si non magis †*incertis*, eaque a re alieniſſima satis infeliciter extricavit.

Quod nostri igitur instituti erat, ut *Hippocratem*, tuosque Vir Orn. *commentarios* a Viri Cl. injuriis vindicarem; cum nulla sit ab illo allata ullius momenti *ratio*, nullum ullius dignitatis *testimonium*, cui non pleniſſime responsum sit, mihi jam absolviſſe videor. Leve autem hoc munuscu-lum, Tuæ ut placere possit elegantiæ,

* Ibidem.

† Vid. Foes. in lib. de Nat. Mul. *Hunc librum adparet magna ex parte ex libris περὶ γυναικείων concinnatum esse* &c.

Vid. Hier. Merc. in Hippocratem censura p. 14. Ubi libri (sc. de Morb. Mul. de Nat. Mul.) ex quibus hæc Vir Cl. loca decerpsit omnia, *ad Polybum aut alium Hippocratis sequacem* referuntur.

vereor;

vereor; animi tamen tibi devinctissimi pignus integerrimum, pro singulari tuo erga me studio & benignitate, ut accipere digneris, rogat

Vir Ornatissime,

omni observantia

Tibi deditissimus,

JOHANNES KING.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

ERRATA.

Pag. 4. lin. 3. lege ſiqua.
P. 11. lin. 18. lege χειρουργίαν.
P. 18. lin. 13. lege ſplendidiora.
P. 23. lin. 14. lege Θερμοδότης.
P. 88. lin. 25. lege febres continuas & acutas.